IVLIANI AVRELII HAVRECHI, LESSIGNIENSIS, V. CL.,

DE

Cognominibus Deorum Gentilium Libri tres, varijs locis recogniti, & tertia ferè parte aucti, ad Illustriss. simul & optimum Principem,

PHILIPPVM CROIVM, Arschoti Ducem, Chimaci ac Porceani Principem.

Accessit rerum ac verborum Index luculentissimus.




LOVANII,

Apud Rutgerum Velpium, Sub Castro Angelico. An. 1569.

CVM PRIVILEGIO REGIO,


Subg. Vander A a.

❧ FRANCISCVS CRANE-
ueldius, Eques auratus, ac summi Senatus Belgici apud Machliniam Consiliarius, in libros Clariss. Viri Iuliani Haurechi de Cognominibus Deor. Gentil.



Candide Lector, aues pernoscere sacra Deorum
Nomina, quæ referat Iuli⁹ iste tibi?
Vnius agnosces quàm sit reuerenda potestas
Numinis, & soli quis referendus honos.
Iampridem explosos scimus Plutona, Iouemq́,
Saturnum, Phœbum, Cyprida, Mercurium.
Et tamen intereà Cœlum tenet, & sua vibrat
Fulmina, qui quondam miserat Altitonans.
Perlege, qui cīgenas cupies tractare camœnas.
Perlege, qui versas sedulus historias.
Et cole multifido quē nomine pagina mōstrat,
Vnius & trini numen, amice, Dei.

FINIS.



ILLVSTRISS.

PRINCIPI, SVMMI ORDI-*nis Aurei Velleris Equiti, Dn.* PHILIPPO CROIO, *Arſchoti* DVCI, *Chimaci ac Porceani Principi, Bellomontij ac Senneghemi Comiti: Auenæ, Wallerij, Lillerij, Quenocãpi, Mallanoij, Sanuenanti, Haloini, Cominij, &c. Baroni ac Domino,*

PHILIPPVS AVRELIVS AB HAVRECH, MACHLINIANVS, IVLIANI F.
S. D.



ATRIS mei, Iuliani Haurechi, de cognominibus Deorum Gentilium libros tres, quos ille ſeptẽ ab hinc & viginti annis ab ſe cõ ſcriptos atque editos, ac inde ſtatim poſt annos duos varia & multiplici acceſsione recognitos, ſicque planè vti nunc prodeunt auctos, annis ſuperioribus moriens mihi reliquerat, cùm tandem aliquando in lucem proferre cogitarem, Philippe Dux

 Illuſtriſ-

idémque patrone benigniſs. ;atque eruditi quidam iuuenes & viri, qui me ad noui huius quodammodo operis editionē hortati paulò antè fuerant,rerum ac verborū omnium, quæ toto opere continebantur, Indicem deeſſe conquererentur: non putabam mihi quicquam eorū prætermittēdum eſſe,quæ ad operis vſque eò abſoluti perfectionē requiri poſſent. Collegi itaque eum vt maximè potui. ſimúlque complexus ſum & librorū capita, Deorúmque in ijs deſcriptorū nomina; & res quaſlibet alias ſcitu dignas,ſtudioſóque Lectori cognitu præcipuè neceſſarias.Porrò nihil operi addidi,nihil ī eo mutaui,nihil etiā innouaui,Sed Indicē tantū à me collectū ita cū opere,& opus cum ipſo auctoris autographo contuli ; vt nihil confidam fore, quod nō quàm optimè cū eo cōueniat,& nihil eorū me omiſiſſe putē,quæ ab auctore addita alicubi, aut emendata cōſpexerim.Opus id quidē fuit eruditiōis nullius, aut certè perexiguæ:tædij tamen alicuius, & laboris. Decreueram itaque nullam huius facere mentionē. Sed cùm neceſſariò

nobis

nobis hiſce libris epiſtola præfigēda vide-
retur, atq; adeo id multi ſine crimine me
omittere non poſſe iudicarent: facilè eadē
opera illud quicquid eſt opellæ meæ, ſimul
cū epiſtola exſtare paſſus ſum, Siue etiā,
quòd id mihi muneris tacitè quondā pa-
trem dediſſe, haud paruis argumentis ad-
ducor vt credam: ſiue, quòd ipſe perpetuū
aliquod obſeruantiæ erga ſe meæ, amoris,
pietatis, ac beneuolentiæ argumentū ex-
ſtare cupio. Sed hæc, PHILIPPE Prin-
ceps humaniſs. qualiacunque ſint, cū ge-
neroſiſs. filio tuo CAROLO Chimacē-
ſium Principi, ſummæ ſpei atque expe-
ctationis puero dicare vellem, cùm pro-
pter ſingularē animi ſui indolem, & in me
beneuolentiā, tum propter eius ætatē ac
ſtudia, quibus iſta magis congruere vide-
bantur quàm tibi, cui per ætatem & aulica
negotia his porrò operam dare minus va-
cat: venit in mentem mihi rem ita mode-
rari, vt omnem iſtorum librorū vtilitatem
vobis ex æquo impertirer; cæterùm ipſas
lucubrationes has noſtras ac patris, ſub ſo
lo nominis tui ſplendore euulgarem. Idq;

insuper duabus de caussis. Vel, quòd ipse ille meus pater iam ante annos decē(cùm multorum hominum ad nouam iam tunc recogniti operis editionem eum adhortātiū precibus victus, suos hosce libros tandem emittere decreuisset) tuæ tum inopinatæ felicitati gratulans, illustri nomini tuo inscripserat: Vel, quòd illustriss. Dux pater tuus, frater, atque ipse denique tam bene ac libenter de patre, me, totáq; familia nostra semper meriti estis, & quotidie tam bene ac libenter de nobis ipse mereris, vt non possem citra grauissimā ingrati animi notam, tua illa in nos merita, honoresque & beneficia, dissimulare aut obtegere. Itaque ne solùm paternæ, sed & pro summis officiis in me tuis, certum aliquod haberes obseruantiæ erga te meæ pignus & indicium: non potui quin ipse quoque huiusce rei argumentum aliquod simul cum opere paterno tibi nunc exhiberem. Nam cùm is sis, qui omnes nos summa semper hactenus beneuolentia, incredibilíque fauore prosequutus es; non dubitabam etiam fore nunc, quin idem

idem quoque eſſes, qui, non dico me, aut patrem meum (cuius ſentio quàm tibi ſit ſpectata virtus) ſed labores hoſce illius ac noſtros aduerſus omnes omnium maleuolorum calumnias defenſurus, eorúmque tutelam protectionémque libẽter (vt alia) ſuſcepturus eſſes. Quæ dum planè de te confido, nõ me deterret ab illo meo propoſito munuſculi tenuitas, cùm inſuper ita nouerim te benignum & humanũ, ita Perſarum Regi Artaxerxi Memori, Cyri fratri, ſimilem: vt non minus regiũ putes parua libẽter promptéque accipere, quàm magna tribuere. dona quælibet, non vtilitate aut pretij magnitudine, ſed donantis animo metiẽs. Sed hæc cùm facis, facis & quod te Principe viro, & Illuſtriſſ. maioribus tuis dignũ eſt. De quorũ lõgè antiquiſsimo ſtemmatis ſplendore hîc aliquid adderem, niſi aut de eo paſsim omnibus ſatis couſtaret: aut ipſe alijs præterea virtutibus ornatus eſſes, quibus per te ipſe maximè clarus es, & quotidie magis ac magis inclareſcis. Humanitatẽ dico, modeſtiam, pietatem, res geſtas, & ſummam

nuper in Regiam Maieſtatem fidem, ac maximam præ cæteris (abſit inuidia dicto) in Catholica religione cõſtantiã. Quibus rebus tantã apud optimos quoſq; laudẽ ac gloriã es cõſequutus, vt neſciã quid magni amplius de te aliquando augurari velim. Sed de his aliâs. Ad me verò quod attinet, ſi munus quod patris noĩe offero, in perpetuũ beneuolẽtiæ vtriuſq; noſtræ, ac totius familiæ pignus & grati animi ſignũ tibi acceptũ fuiſſe ſenſero: præterquã quòd me voti compotẽ reddideris, multis etiam alijs noĩbus tibi deuinxeris. Nã quæ nos damus ſunt ætatis noſtræ, ſunt exigua, ſũt (vt dixi) ĩfra merita Sed ita decretũ eſt patris ac maiorũ meorũ inſequi veſtigia, (voluntas certè nõ deerit) vt ſi quã ſuſtineã expectationẽ imitandæ eorũ induſtriæ, eam planè feſelliſſe nõ videar: & ſi quid ampli' opera, labore, ſtudio, ac diligentia mea cõſequar, id omne ad honorẽ ac laudẽ tuam me collaturũ certò tibi perſuadere poſsis. Bene valeat Illuſtriſs. tua Dominatio.

Louanio X. Kalend. Maias. Anno
CIϽ. IϽ. LXIX.

IVLIANVS AVRELIVS AB HAVRECH, *LESSIGNIANVS*, *PHILIPPO* CROIO ILLVSTRISS. ARSCHOTI DVCI, S. P. D.



VM Emissum à me ante annos decem & sex de Cognominibus Deorum gentiliū opusculum, quod alioqui studiosis ōnibus gratissimū esse intelligebā, innumeris scatere mendis animaduertissem, Philippe, Dux Illustriss. nihil prius in votis fuit, quàm vt confestim secundā adornarem editionē, quæ & castigatior, & aliquo auctario locupletior, in manus hominum rursus exiret. Sed dū in ea versarer cogitatione, atq; etiam, quantū quidem ciuilia negotia patiebātur, nōnulla succisiuis horis addidissem, iamq; cum typographis de iterum excudendo pactus essem: Ecce Philippus Dux parens tuus opt. quo viro nullum vnquàm principem nostra hæc Belgia cordatiorē, ac doctorū hoīm amantiorē tulit, siue aliqua nominis nostri fama illectus

siue

ſiue magnorũ virorum, qui magnifica de me ad eum encomia perſcripſerant, literis incitatus: omnibus quibus poteſt rationibus tentat me in domeſticũ ſuũ contuberniũ pertrahere. Quod ſanè tantò fuit illi à me impetratu facilius, quantò erat maioris auctoritatis, liberalitatis, ac humanitatis. Ex qua quidẽ vitæ mutatione, nullũ aliud ſenſi incommodũ: quàm quòd me à ſuauiſsimis ſtudijs alieniorem poſthac futurũ viderẽ. Quid enim mihi, q̃diu ille vixit, in tanto negotiorũ ſtrepitu, quibus quotidiè penè obruebar, cum Muſis ac libris commercij eſſe potuiſset? Sed cùm poſt eius inopinatum deceſsum pluribus adhuc diſtringerer negotijs, dum Carolo DVCI fratri tuo de Cæſaris iuſsu præſidio eſse cogor: ac iterũ, dum poſt eius obitum, rebus tuis me præficis: quo modo, quæſo, etiam tunc aliquam literarum ſtudijs operam nauare licuiſset? Certè toto illo tempore, vſque adeò grauibus occupationibus diſtrictus fui, vt interim vix vnum diem liberum à negotijs habuerim, quemadmodum tute ipſe locupletiſsimus teſtis eſse potes. Hinc factum eſt, vt non ſolùm de rurſus edendo opuſculo meo ampliùs non cogitarẽ, ſed etiam,

vt Mu-

vt Musarũ penè cũm oblitus essem. Accedebat eò quòd ab eruditis amicis mihi renunciatum erat, libellum meum rursus impressum esse in Germania cum Phurnuto & Palæphato elegantioribus & emendatioribus typis. Quæ caussa cùm potißima fuisset, cur tantopere ad nouam editionem anhelarem, atque ita cùm voti mei compos sine vlla cura factus essem: non videbam cur hac in re amplius elaborarem. Itaq; nouæ editionis prorsus immemor, aliò curas meas detorqueo. patienter interim ferens, eos mihi labores perire, quos in augendo locupletandoq; sanè non paucos sustinuerã.

Sed ecce dum annis superioribus Imperatoris Aulam tecum sequor, incidi commodùm (Ioanne Hestero Achate meo comitatus) in Pyramij Cæsariani Secretarij viri doctißimi, domum. Cum quo habito (vt fit inter amicos) varijs de rebus colloquio, ille mihi tandem è Bibliotheca sua profert Lilij Gregorij Gyraldi de Dijs Gẽtium, eorumq; cognominibus multiplicem historiam. Ego statim operis titulo simul ac magnitudine stupefactus, quòd ipse eiusdem argumenti librum exiguum ante annos multos edidissem, illicò paginas aliquot deuo-

deuoraui verius quàm legi. Nam ne tũc quidem, neque adhuc multis annis postea, totum opus per ferias occupationes euoluere licuit. Cæterùm cùm tandem aliquando, grauioribus negotijs defunctus, maius otium nactus essem: atque denuò cum literis in gratiã velut postliminio redire decreuissem: placuit à Lilij lectione studia mea renouare. Quem cùm semel atque iterum quanta maxima potui diligentia perlegissem, meq́; ab illo multis vbique parasangis vinci ac superari comperissem: non solùm illicò recudendi operis mei propositum penitus abieci: sed etiam statim, illius me, quod vnquam editum fuisset, propemodum pœnitere cæptum est. Quippe post emissum tam insignem & tam copiosum Deorum ab illo tractatum: nullum amplius inter eruditos locum meo posthac futurum probè intelligebam. Imò idem omnino mihi certò vsuuenturũ augurabar, quod olim nostra ætate Polydoro Vergilio & Leonardo Portio viris doctiss. euenisse videbam. quorũ de Adagijs & de Asse opuscula post Erasmi ac Budæi de eodem argumento ingẽtia volumina, ne nominãtur quidẽ hodiè amplius, tantũ abest, vt aliquo

in pretio habeantur. Adde quòd non parum verebar (vt Momis ac calumniatoribus hodiè plena sunt omnia) ne, si adiecta à me in secūda editione cognomina, in Lilio quoque aliquis nasutior reperiret, statim me furti reum perageret: quasi non ipse prior inuenissem, sed ab eo suffuratus operi meo infarcissem. Quibus sanè considerationibus motus, mecum penitus statueram, priore contentus editione (quando infecta reddi non poterat) illud ante annos tredecim paratum auctariū vel Vulcano consecrare, vel certè mihi domi perpetuò seruare ac premere. Et fecissem dubio procul, nisi amici omnes, cum quibus rem totam cōmunicaueră, ab eo me proposito validissimis rationibus & argumētis auocassent. Nă vt fatebātur illū quidē operis immēsitate superasse: ita negabāt illi priores idcircò deferendas esse. Imò nisi prolixitate superasset: exiguă cū laudē reportaturū fuisse cōtēdebāt. Qui enim post aliquē de eadem re scribit, nisi plenius, ac fœcūdius scribat: nō modò nō aliqua esse laude dignū, sed etiă summă mereri rephēsionē, præsertim in illo scripti genere, in quo multa congessisse præcipua laus est. Itaq. cum ille diu pēst

me in

me in eodem argumẽto versatus esset (vt ipsemet quoque fatetur) & Deorum omnium multiplicem historiã, eorúmque sacrificia scribere instituisset: non mirum esse dicebãt, si me prolixitate vinceret, qui de viginti tantùm Deorum Cognominibus ex professo scriberem: non autem, quemadmodum ille, Deorum omnium historiam, imagines, cognomina, & sacrificia promitterem: pro quibus omnibus ex dignitate tractandis, dicebant longè pluribus chartis opus esse (præsertim cùm innumerabiles Deos, eosq́ planè ridiculos insana Gẽtilitas finxerit) quàm in recensendis ex professo viginti tantũ Deorum nudis cognominibus. Imò verò asserebant, si ex illius immenso opere resecarentur omnia, quæ extrà illorum viginti deorum à me solùm descriptorum cognomina, inculcata sunt: delerenturq́ tot auctorum ab eo frustra allegatorum verba: reliqua quæ manerẽt, paucis sanè paginis opus meum superatura. Iam quod ad illam furti notam attinebat, bono me esse animo iubebant, hac in re nihil esse periculi spondentes. Nam cùm decem annis antè auditum mihi nomen Lilij, potuerim illorũ viginti deorum plus quàm mille cognomica colligere:

ligere: dicebant vnumquemq; facilè inde iudicaturum esse, me etiam ducenta alia sine Liliano auxilio addere potuisse. Imò verò cum eruditus lector animaduertet in Lilio longè plura adhuc esse cognomina, quàm in noua mea editione: facilè inde collecturum asserebant, ex eo me nihil suffurari voluisse: alioqui si hoc mihi propositum fuisset, vniuersa quæ in illo erant, in opus meum deriuaturum fuisse. Quamobrem, & monere & hortari me non desinebant, vt Liliani operis vastitate, aut furti metu nihil deterritus, nouæ quamprimùm editioni alacriter incumberem. Nam ad postremum, vt maximè multis ab eo vinci dotibus iudicarer: inuentionis tamen gloriā affirmabant (inuita licet inuidia) & fuisse, & futuram (vel illius confessione) perpetuò meā. Quin & meis, credo, nimium palpantes auribus, alia me quoque laude superaturm contendebant: nempè dispositione, & cōtinuæ orationis quadam veluti concathenatione. Nam cùm apta dispositio præcipua sit oratiōis virtus, & cōtinua non sectionibus diuisa oratio, magnam dictioni venerem conciliet: debuisse sanè illum vbique eiusdem generis, eorundémque

que

que effectuum cognomina, idq; continuæ dictionis filo, coniungere, ac veluti conferruminare, si modò punctum omne ferre voluisset. Quod quia ab illo nusquàm, à me autem vbique ferè obseruatum erat: dicebāt me hac quoque parte potiores laturum. Has & multo plures alias rationes cùm amici mei indesinenter mihi occinerent, omniáque, quæ aduersus eas argumenta proferebam, nullo (vt ipsis videbatur) negotio protererent: tandem aliquando ab illis me exorari passus sum. non sanè quòd me vlla prorsus virtute superaturū considerem, vt illi impudenter nimium se mihi persuasuros putabant (quæ enim sit doctrinulæ nostræ cum summa Lily eruditione comparatio? nonne eadem planè quæ muscæ cum Elephanto?) sed ne morosus nimium, ac præfractus illis viderer. Cæterùm cùm illorum voluntati acquiescens, iam iterum cum typographis transigere decreuissem: & circum quaque dispicerem, cui secundam hanc meam fœturam consecrarem (priorem enim dedicaueră, piæ memoriæ, nobiliss. & eruditiss. viro Falesio Francisco à Burgundia) Tu solus omnium mihi occurristi Philippe Dux Illustriss. cui iure eam

re eam deberi existimarem. Nam cùm ea sit vbique gentium ex felici illo tuo ex Gallicis retinaculis elapsu, nominis tui fama & gloria, vt illius æternitatem nulla vnquàm secula deletura sint: quémnam, quæso, è tot Principum numero, iustius te mihi delegissem: è cuius nominis vsura: tantum honoris huic opusculo accedere potuisset? Aut si beneficijs & honoribus in me collatis, aliqua gratia rependenda erat: cui potius aliquā grati animi testificationē præbuissem, quàm illi, à cuius optimo & liberalissimo patre nō mediocriter mihi prospectū est, & qui quotidiè nouis me cumulare muneribus non desinit? Certè non negamus quod tibi nunc offerimus munusculum longè esse infrà fulgorem tuum, tuáque in me beneficia Sed qui thura Dijs præ inopia adolere non possunt, cur saltem eis salsa mola non litent? Vulgatum quidem est multorum literis, Artaxerxem Persarum Regem oblatam sibi in itinere à tenui quodam operario vtraque manu aquam pari alacritate accepisse, qua munera à potentissimis Monarchis accipere solebat. Videlicet non donum, sed donantis animum Princeps humanissimus intuebatur.

Sim ſanè ego operarius ille, qui aquam tibi obtulerit: & tu ſis, ſi placet Artaxerxes: vt quemadmodum ille hominis pauperis munuſculum non eſt auerſatus: ita tu quoque opuſculum hoc, quamuis Excellentia tua, tuiſque in me beneficijs indignum, non aſperneris. Magnum quidem eſt ac laudabile, lõga ſtemmata numerare: generiſq́; ſeriem vſque à Stephanis & Belis Hungariæ Regibus deducere: & eo patre natum eſſe, qui apud D. Carolum Romanorum Imperatorem ſemper Auguſtũ tòt Gentium dominum, eiuſq́; germanam ſororem Mariam Hungariæ Reginam præcipua polluerit auctoritate: ipſum verò etiam maximã hacten⁹ authoritatẽ apud eoſdẽ illos obtinuiſſe, & nũc apud D. Philippũ Hiſpaniarũ Regẽ Caroli F. obtinere. Sed paterc ad reliquas laudes tuas etiam hãc accedere, vt, ſicut plurimis naturæ dotibus inter omnes noſtros Satrapas iure Principem locũ obtines: ita humanitatis quoq; gloria omnibus illis anteponaris. Certè, ſi librum hunc ſi non alia dote, argumenti ſaltem nouitate, & olim cum prius ederetur, & nunc etiam dum recuditur commendabilẽ, grato animo acceperis: arctius me

multò

multò tibi deuinxeris, quàm si pluribus tuis in me beneficijs, cumulatius adhuc aliud adderes. Desiderabis forsan in eo venustam magis orationẽ: Sed aliquid cõdonare te oportet cõtinuis meis occupationibus, & Iuris studio. Quod simul cũ serijs tuis negotijs ita me multos iã annos detinuit irretitũ, vt phalerata illa & picturata verba non magnopere adfectauerim, nec in ijs studiosius conquirẽdis immorari libuerit. Nam quòd succinctius omnia tractauerim, cùm possem copiosius: ideò factum est, vel quòd natura ipsa Laconismi amantior sim; vel quòd hoc gustu præbito, lectorem ad singula fusius persequenda inuitare voluerim. Vale.

Ex arce tua Heuerlensi, anno restitutæ salutis CIↃ IↃ. LVIII. V. Non. Martias.

¶ IVLIANI AVRELII *HAVRECHI, LESSIGNIENSIS, V.CL. in libros suos, De cognominibus Deorum Gentilium, ad Lectorem Præfatio.*





VM tandem aliquando quos de Cognominibus Deorũ Gentilium libros iuuenis in Gallicis Academijs conscripseram, magna cũ difficultate absoluissem, Amice Lector, eosque typographis excudẽdos iam tradidissem: neque suspicarer futurũ vnquam aliquem tam impudenter improbum, qui in eis aliquid calũniari auderet: Ecce quorũdam sermonibus repentè mihi nunciatũ est, extitisse morosulos aliquos ac superstitiosulos senes, qui inspecto tantum operis titulo vociferati essent, indignam me rem fecisse, qui Gẽtilium nugamenta Christianis hominibus legenda proposuissem. Quod cum præter spem mihi relatum fuisset, sanè dubitaui statim mecùm aliquandiu, vtrumne labores meos in lucem proferrem, an verò potius eos cùm tineis & blattis perpetuò rixari permitterem. Verũ cùm rem totam paulò altius mecum reputassem

ſem, atque ex Platonis ſententia nos nō nobis ſed patriæ, ſed amicis natos eſſe frequenter audiſſem: non exiſtimaui facturum me honeſtè, ſi propter vnius atque alterius indocti calumniatoris, præpoſterum iudicium, publicam vtilitatem, quantum in me eſſet, non adiuuarem, præſertim cùm nemo vnquàm fuerit tam inſigniter eruditus, in quo non aliquid à Momis iſtis deſideratum ſit, vt non admodū egrè ferre debeam ſi mihi quoque idem vſuuenerit. Cæterum vt ſeniculis illis, & omnibus qui opus hoc propter explicatas ĩ eo veterū antiquitates dānaturi ſunt, in ipſo ſtatim operis limine ſatiſfaciam, atque etiam (ſi fieri poteſt) os obturem, proferam in medium veteres aliquot Theologos, qui in argumēto ferè ſimili verſati ſunt, & propter huiuſmodi ſcripta nō modò nō à quoquam reprehenſi ſunt, verumetiam immortalem gloriam ſibi quæſiuerunt. Apud quē enim non eſt ſacroſancta Iuſtini Philoſophi eiuſdēque Martyris, Tertulliani, Euſebij, Arnobij, & Lactantij vetuſtiſsimorum Theologorum auctoritatis? Apud quem non eſt nomen eorum clarum & plauſibile? Et tamen Gentilium ſuperſtitionis plena ſunt apud eos omnia. Diuo Auguſtino parem theologū neſcio an vlla vnquàm ſecula protulerint. Et tamē tātus vir tam ſanctus, tā Chriſtianus, tātum abeſt, vt impium

existimauerit de Ioue atque alijs Gẽtilium numinibus commentarios texere: vt etiam opus in quo talia scribit, Ciuitatem Dei vocare non erubuerit. Laudatus fuit olim, atque etiam laudatur hodie Fulgentius vir pius & doctus, & tamen non putauit alienũ esse à Christiani hominis studio, gentilium fabularũ rationes explicare, licet esset iam senex & Episcopus. Boccatium quoque pro emissa superioribus annis Deorum Genealogia, non modò non culpauit aliquis: sed etiam literati omnes laudibus ad cœlum tantùm non extulerunt. Quòd si piaculum est huiusmodi res tractare, quare non istorum omnium opera dudum explosa sunt? Aut si periculum aliquod ex gentilitatis declaratione Christianismo imminebat, quare ad Ciuitatem Dei, quam nõ ita multi propter antiquitatis ignorationem intelligebant, nostra ætate Ludouicus Viues, vir non minus pius quàm eruditus, commentarios attexuit? aut quare ad hoc faciendum Erasmus eum incitauit? Quòd si obijciat aliquis, veteres ethnicorum de Dijs ludibria idcircò tractasse, vt eorũ siue dementiam, siue impietatem retunderent: vicissim & ego respondebo, ideò me varias istas Deorum nomẽclaturas in vnum opus redegisse, vt, dum Christianus Lector tãtam nominum diuersitatem offendet, deplorata gentilium

tilium infelicitate, noſtram agnoſcat felicitatem: gratiaſque Deo Opt. Max. mecum agat immortales, qui noſtri tandem miſertus, nos per filium ſuum IESVM Chriſtum à tam denſa errorum caligine liberârit. Quod propoſitum meum cùm ab initio ſemper tale fuerit, an erit aliquis qui illud ſuggillare audebit? Quæſo, quænam eſſet inuidia, quod in alijs laudatum fuit, in me ſolo damnare? Nemo Auguſtinum, nemo Fulgentium, & illos antè nominatos auctores, cùm tamen & ſenes & Epiſcopi ſcripſerint, vnquam reprehendere ſuſtinuit: & mihi necdũ iuueniles annos egreſſo, fraudi erit, quæ ex veterum ſcriptis magna quondam diligentia annotaui, in mediũ proferre, noſtriſq; hominibus legenda propinare? Cur ſtatuatur in me lex tam iniqua? An ideò in diſcrimen vocabitur noſtra perſuaſio, ſi puer intelligat, quare Iupiter Romanis Stator appelletur, aut vnde Piſtoris cognomen ſortitus ſit? Nonne grãde crimen eſt chartis mãdare, quare Iunonem Romani Monetam vocarint, aut vnde Veneri cognomen Caluæ impoſitũ ſit? O ſæcula, ô mores. Vbi eſt iudicium tuum ô Mome? Si nefas eſt iſta declarare, quare talia ex omnibus libris, tanquam noxia non radũtur? Nam veterum ac recẽtium auctorum ſcripta, ſimilium rerũ plena ſunt omnia. Sin pro-

bantur, in aliorum libris:cur in meis reprehendantur, in quibus tantum congesta sunt, & bona fide exposita? An non autem intelligis,ista cùm damnas,damnare te quoque non poësin modò, sed etiam historiam & omnes bonas literas? Sed vbinam,quæso,legisti gentilium lectione Christianis interdictũ esse? An nõ Diuus Basilius Magnus,maximi intervete res theologos nominis apertè scribit adolescẽtes nõ modò nõ arcẽdos à legẽdis Ethnicorũ libris: sed etiã eorũ cognitione instructos, ad discendas sacras literas venire paratiores? Vtrius iudiciũ prępõderaturũ putas, tuũne,qui cœlũ terrę miscẽs,si quid audis ex profanis auctoribus in mediũ adduci:an optimi & doctiss. theologi,qui etiã maximã vtilitatẽ ex eis percipi posse cõtẽdit?Certè Iulian⁹ Imperator,qui posteà(quòd à Christianismo ad Gẽtilitatẽ defecisset) Apostata dictus est,in cõtraria tecum prorsus opinione fuit,Nã cũ videret eius tẽporis multos Christianos ex varia ethnicorũ auctorũ lectione tantam consequutos eruditionẽ esse,vt cum Paganorum philosophorum falsos Deos defendẽtium eloquẽtia certare possent, metueretq;, ne illi, haustis ex Gentiliũ libris rationibus ac varijs argumentis, vniuersam Idololatriam facili negotio pessundarẽt: lata illicò lege sanxit, ne cui vnquam Christiano

in po-

in posterum, veterum poëtarum, oratorum, & id genus auctorum libri prælegerentur. ratus hoc ædicto defutura posthac Christianis arma, quibus vanam Gentilium religionem impeterent. Vide verò tu, qui tam superstitiosus es, vt nihil ex scriptis Ethnicorum desumptum, tanquam venenatũ, patiaris: quàm ab illius Imperatoris Apostatæ sententia discrepes. Ille, ne Christianorum filij Græcorum disciplinis amplius erudirentur, edicto prohibet; existimans ad Euangelij illustrationem illas nimium conducere. & tu contrà, censes illas obstare. Sed opinionem tuam, tuiq; similium, cùm multi alij, tum Socrates & Nicephorus Ecclesiasticæ historiæ antiqui scriptores abundè refutarunt; vt hic pluribus verbis opus non sit. Pulcrum igitur, pulcrum profectò semper fuit, antiquitatem nouisse; & quæ à veteribus scripta sunt, non ignorare. Sed cùm inter antiquitates, ista cognomina iure haberi possint vel præcipua; & eorum referta sint omnia veterũ monumenta; nemoq; ex latinis auctoribus adhuc ea in volumen aliquod seorsum redegerit: nonne magnum admisi piaculũ, qui primus id tentauerim, viamq; ad intelligendos poetas, oratores & historiographos muniuerim: & te Lectorẽ, congestis in vnũ volumen quæ sparsim apud varios legebantur, longo quærendi labore

bore leuauerim? Certè non putauerim. Imò verò credam, candidissimos & eruditiss. quosq; studium hoc meum vehementer laudaturos, mihique vtroque pollice (quod dicitur) pro coaceruationis labore fauturos. Vtcumq; autem casura sint hominum de me iudicia, placuit, contéptis Momorũ calumniis, aleá iacere; exemploq; veterum Orthodoxorum, quę collegeram, in manus tuas, amice lector, emittere: vt his meis lucubrationibus adiutus, solidiora posthâc per te ipse inuenire queas. Séd hoc interim abs te precabor, vt, si alicubi minus tibi satisfecero, (neq; enim omnes omnia possumus, & fas est opere in longo interdum obrepere somnum) pro ingenuo tuo candore, mihi ignoscas. Ita enim fiet; vt olim similia tibi conanti, par venia quoque concedatur. Nam vt verè Persius inquit: Cędendum, inq; vicem præbendum crura sagittis.

IVLIA-



IVLIANI

AVRELII HAVRECHI, LESSIGNIENSIS, V. CL.

DE *Cognominibus Deorum Gentilium, Liber Primus.*

Veterum de Deo opiniones, & vnde homines pro Dijs coli, simulachrísq; effingi cœperint. Caput primum.



ON abs re facturus mihi videor, si de varijs Deorum Gentilium Cognominibus scripturus, antè omnia breuiter recensuero, quia de Deo veteres senserint. Nam qui plura nosse vult, legat cùm varios philosophorum, tum Plutarchi de placitis philosophorum, & Ciceronis de natura Deorum libros. Siquidem ea in re tot propemodum fuisse video sententias, quot homines fuerunt: alijs post alios nouas quotidiè opiniones, easq́; planè ridiculas, comminiscentibus. Thales igitur Milesius

lesius Deum esse dixit, mentem cunctarũ rerum ex aqua procreatricẽ. aquã enim putauit, initiũ esse rerũ oĩm. Et Pythagoras nihil aliud Deũ esse credidit, quàm animũ per vniuersas mũdi partes diffusum. Cleanthes autẽ & Anaximenes Deũ statuerunt aërem, eũq; gigni, esseq; immensum & infinitũ, & semper in motu. Sed Anaxagoras antè eos mentẽ infinitã; & Xenophanes mente adiũcta, omne præterea quod esset infinitum, Deum esse putauerũt. Plato verò, censuit Mundum ipsum, & cælum, & astra, & terram, & animos, Deum esse. Et Aristoteles, modò menti, modò ipsi mundo, modò cæli ardori omnem tribuit diuinitatem. quem sequutus est & discipulus eius Theophrastus. Sunt qui Naturalem vim diuina ratione præditam, & Naturalem legem Deum fecerint, vt Chrysippus & Zeno. Sunt qui Naturam ipsam Deum statuerint; vt Straton Theophrasti auditor. Quin & fuerũt, qui sintne Dij dubitauerũt, vt Protagoras. quẽ ob hanc causam Athenienses exilio multârunt, eiusq; libros in publica concione cremârunt: & qui etiam esse omninò negauerunt, vt Diagoras & Theodorus; qui etiã ob hoc ἄθεοι

dicti

dicti sunt. De quibus omnibus nihil aliud est quod dicam, nisi quòd, licet summo excelletiq; ingenio fuerint, in hac tamẽ re grauißimè hallucinati sint. Rectius profectò fecit Simonides poëta, qui ab Hyerone Syracusanorũ rege interrogatus quid esset Deus, biduum postulauit: cũq; sæpius duplicaret numerũ dierũ, causamq; Hyeron mirabundus requireret; nullã aliã esse respondit, nisi quòd quantò diutius cõsideraret, tantò indagationẽ hanc obscuriorẽ esse cõperiret. Et certè vt verißimè scribit Prudentius,

Nam cùm diuinis agimus de rebus, & illũ
Qui vel principio caruit, vel fine carebit,
Quiq; chao anterior fuerit, mundumq; creârit,
Coniectare animo contendimus: exigua est vis
Humani ingenij, tantoq; angusta labori.

Sed existimauerũt aliqui tolerandã fortaßis esse eorũ ignorantiã, vt quibus præluceret tãtùm naturæ quædam bonitas, non autẽ Christiana veritas patefacta esset. Lactantius tamẽ, & ante eũ Iustinus Philosophus, ideq; martyr, ad confundendã Gentiliũ Idololatreiã ex opinione tũ poëtarũ, tũ philosophorũ, tũ oraculorũ, tũ Sybillarũ, manifestißimis argumẽtis euincũt, etiã antiquißimis tẽporibus nũq̃ dubitatũ

fuisse, nisi à malè feriatis quibusdam, vnum esse Deum, licet non intelligerent quisnam ille esset: ideoq́; eos excusari non posse, qui homines, & eos sceleratissimos, in Deorum numerum reposuerint. Quin & D. Paulus in initio epistolæ ad Romanos apertè ostendit, eos veri Dei cognitionem ex tam mirifica huius mundi fabrica perspectam habuisse, ideoq́; inexcusabiles esse. Nam cùm Deum cognouissent, inquit, non sicut Deũ glorificauerunt, aut gratias egerunt: sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum. quod & ante Salomon non tacuerat, qui in libro Sapientiæ cap. 13. Iterum, inquit, nec his debet ignosci. Si enim tantum potuerunt scire, vt possent estimare sæculum; quomodò huius dominum non facilius inuenerunt? Et quando in istas hominum Apotheoses incidi; non omnino mihi videor operam lusurus, si, cùm bona pars Gentilium, Deum spiritum ac mentem vocauerint, eumq́; animo colendum esse etiã libris editis testati sint: paucis ostendero, vnde tanta Deorum multitudo inuecta sit, hominesq́; iam morte deleti diuinis honoribus affecti sint. Equidem, vt rem in pauca

con-

conferam, certò affirmauerim errorem illum ab impostore cacodæmone inductum fuisse. Nam cùm ille malorum omnium auctor sit & parens, procul dubio & in hanc vel multò profundissimam erroris calliginem miserorũ mortalium corda demersit. Referunt tamẽ Ethnici scriptores, istas hominum Deificationes cõsecrationesq́, propter merita vel virtutum, vel munerum, vel artium repertarum, à veteribus in memoriam inuentas. Sic enim ait Cicero lib. de Natura Deorum secundo. Suscepit vita hominum consuetudoq́ communis, vt beneficiis excellentes viros in cælum tolleret. & in secundo de Legibus. Diuos, & eos qui cælestes semper habiti sunt, colunto: & illos, quos in cælum merita locauerunt, Herculem, Liberum, Aesculapium, Pollucẽ, Castorẽ, Quirinum. Et Horatius in his ad Augustum versibus,

Romulus, & Liber pater, & cũ Castore Pollux,
Post ingentia facta, Deorũ in templa recepti.

Hinc volunt Cererem, quia prima fruges inuenit; hinc Bacchũ, quia primus vites plãtare docuit, in Deorum cætu locatos. Sed Prudentius non ferens, & meritò quidem, tantã

Genti-

Gentilium cæcitatem, sic in eos inuehitur.

Nec bona p̃sentis vitæ numerosa gubernant
Numina, non alius segetes, & spicea farri
Suppeditat De⁹, haud ali⁹ dat musta racemis.
Purpureumq́; graui fundit de palmite succum.

Cæterùm Solomon eodem, quem modo citaui, libro, cap. 14, Superuacuitas, inquit, hominum hæc adinuenit in orbem terrarum: et ideo breuis illorum est finis inuentus. Acerbo enim luctu dolens pater, citò sibi rapti filij fecit imaginem: & illum, qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tanquam Deum colere cœpit, & constituere inter seruos suos sacra & sacrificia. Deinde interueniente tempore, conualescente iniqua consuetudine, hic error tanquàm lex custoditus est. Et Tyrannorum imperio colebantur figmenta: & hos quos palàm honorare non poterant, propterea quòd longè essent, è longinquo figura allata, euidentem imaginem regis, quem honorare volebãt, fecerunt; vt illum qui aberat, tanquam præsentem colerent sua sollicitudine. Prouexit autem ad horum culturam, & hos, qui ignorabant, artificis eximia diligentia. Ille enim volens plus facere illi qui se assumsit, elaborauit ar-

uit arte sua, vt similitudinem in melius figuraret. Multitudo autem hominũ ab ducta per speciem operis eũ, qui ante tempus tanquã homo honoratus fuerat, nunc Deum æstimauerunt. Et hic fuit humanæ vitæ error. quoniam aut affectui, aut Regibus deseruiẽtes homines, incommutabile nomen lapidibus & lignis imposuerunt. Hactenus Solomon. Lactantius verò, quodam loco scribit, ritũ colendorũ Deorũ à Iouis immodica superbia fluxisse. Ipsum enim ad tantam prouectum fuisse arrogantiam, vt sibi tandẽ ausus fuerit diuinitatem impudenter vẽdicare. Nam cùm Terras circuiret, morem hunc habuisse, vt curaret sibi templa de hospitum suorum nomine constitui. Sic erecta esse delubra Ioui Atabyrio, Ioui Lapriãdo (ita enim legit Viues, cùm vulgò Labradæo legatur) Ioui Molioni, Ioui Cassio, qui omnes Iouis hospites, atq; eius in bellis adiutores fuerunt: hocq́; modo astutum hominem paulatim religionẽ cultus sui propagasse, cæterisq́; exemplũ ad imitandum præbuisse. Nam vt verè scripsit Prudentius, de Ioue loquens.

In quamcunq; fidem nebulonis callida traxit
Nequitia, infelix facilem gens præbuit aurem.

Vide verò quemadmodum pedetentim cacodæmon superstitiosam antiquitatem magis atque magis ludificatus sit. cui non satis fuerat persuasisse, vt hominib⁹ diuinitas tribueretur, nisi etiã credulos huc impelleret, vt cõsecratis iam, tẽpla dicarentur, simulachráque & imagines statuerẽtur, hoc est, nisi nouum crimẽ nouo crimine cumularet. Ægyptios autem Dijs aras, simulacra, & delubra primos statuisse Herodotus auctor est. Quin & apud illos (quod adhuc magis impium fuit) Crocodilũ, aut Ibin aut felem violasse, capitale crimẽ habitum est. Quippe hæc animalia pro Dijs stolidißima gẽs venerabatur: Imò, quod merito ridet Pruden.

Porrum, & cepe Deos imponere nubibus ausi,
Alliaq́, & cæli super astra locare Serapin.

Non mirum igitur, quod eod. libr. cap. 11. Solomon scribit, immissam esse à Deo illis, qui serpẽtes & bestias colebãt, multitudines mutorum animalium in vindictã, vt scirent, per quæ quis peccat, per hæc & torqueri debere. Certè Persæ, aliæq́, multæ gentes, licet patrio ritu Deos quidem colerent, eis tamen neq́, templa ædificabant, neq́, simulachra ponebãt. Persuaserant enim sibi, Deum vbique præsen-

tem

tem eſſe —atque ire per omnes
Terraſq́;,tractuſq́; maris,cœlumq́;profundum:
ideoq́;ſtultiſſimum eſſe , velle eum certo aliquo loco concludere.& quia Deum nemo vidit vnquam , ridiculum ſimiliter credebant, eum ſpecie figuraq́; humana repreſentare. Romani quoque annis plus quàm centũ & ſeptuaginta,Deum ſine ſimulacris coluerunt:idq́; ex inſtituto Numæ.qui licet templa Dijs erexerit,nullum tamen vnquam ſimulachrum vel fictũ vel pictum admiſit:nephas eſſe iudicãs, deterioribus meliora aſſimilare. Primus aũt Tarquinius Priſcus vanitate et curioſitate Græcarũ ſuperſtitionum,Ethruſcarumq́; domi imbutus,Dijs ſimulacra Romæ poſuit.quod Varro probare non potuit:dum apertè ſcribit futurũ, vt ſi abſque ſimulacris religio mãſiſſet,caſtius Dij obſeruati fuiſſent. & verum dixiſſe Varronem auctor eſt Diuus Auguſtinus . Nam dum vnuſquiſque ad cecas ſtatuas , mutaſq́; imagines ſolùm attendit:fit , vt corruptibile ſimulachrum pro Deo incorruptibili adoret; rebúſque externis contentus , cum cœlum intueri deberet , ad inſenſibilia & terrena

tantum feratur. Quod & Diuus Paulus ostendit olim vsu uenisse, dum ait illos, qui veritatem Dei in iniustitia sua detinuerunt, mutasse gloriã incorruptibilis Dei, in similitudinẽ imaginis corruptibilis hominis, & volucrũ, & quadrupedum, & serpentium. Et hoc est, quod etiã tantopere dolebat Sedulio poëtæ Christiano, qui Gentiliũ & præcipue Aegyptiorũ idololatriam irridens ita scribit,

Heu miseri, qui vana colunt, qui corde sinistro
Religiosa sibi sculpunt simulachra, suumq;
Factorem fugiunt, & quæ fecêre verentur.
Quis furor est, quæ tãta animos dementia ludit,
Vt volucrẽ, turpemq; bouem, toruũq; draconẽ,
Semihominẽq; canẽ supplex hõ pronꝰ adoret?

Sed & Seneca inter Ethnicos sanctissimus de simulachris ita loquitur. Simulachra Deorũ venerantur, illis supplicãt genu posito, illa adorant, illis per totum adsident diem, illis stipẽ iaciũt, victimas cædunt. & cùm hæc tãtopere suspiciant, fabros qui illa fecêre, cõtemnũt. Audiamus & Solomonẽ eod. lib. ca. 15. Omnes, inquit, insipientes & infelices supra modũ qui Idola nationũ Deos æstimauerũt, quibus neq; oculorũ visus est ad videndum, neq; nares ad perci-

percipiendũ ſpiritũ, neq; aures ad audiendum, neq; digiti manuũ ad tractãdũ: ſed pedes eorũ pigri ad ambulandũ. Homo enim fecit illos, & qui ſpiritũ eſt mutuat⁹, is ſinxit illos. Nemo enim ſibi ſimilem homo poterit Deum fingere. Cùm enim ſit mortalis, mortuũ finxit manibus iniquis. Melior enim eſt ipſe his quos colit, quia ipſe quidẽ vixit cùm eſſet mortalis, illi aũt nũquam. NOLIM verò, amice lector, hæc de diuorũ noſtrorũ imaginibus intelligas, quas ſimpliciter damnare (cùm ab vniuerſali Eccleſia dudũ in Conciliis approbatæ ſint) hominis ſit de ſacrôſanctis Synodis, deq; ſanctiſſimorũ Patrum conſtitutionibus perperã ſentientis. Nã vt eas veneremur, maior in nobis, quàm fuit in illis, eſt ratio. Illi enim dæmones, atq; etiam bruta animalia in ſuis ſimulachris adorabant: nos autem, optimos & ſanctiſsimos viros miraculis claros et imaginibus repræſentatos, vt apud Seruatorẽ noſtrum nobis patroni eſſe velint, tantùm inuocamus. In qua re quid, quæſo, eſt impietatis? Sed hæc hactenus. Nam ea altius perſcrutari, alterius eſt inſtituti, & ad operis deſtinati argumentum propius venire, iamdudum mihi ardet animus.

QVAE SINT DEORVM Inter ſe differentiæ, & quòd Dijs olim vterque ſexus tributus ſit.

Caput Secundum.



OST explicatas veterum de Deo opiniones, declaratámque eorũ in effingendis mortuorum ſimulachris Idololatriam, poſtulat ordo ipſe rerum dicẽdarum, vt, quoniam Gentiles non omnes Deos vnius faciebant poteſtatis (quibuſdam enim ex eis ſummam & præcipuam tribuebãt auctoritatem, & quoſdam conſtituebant illorum maiorum velut adminiſtros) hoc loco Deorũ diuiſionem paucis attingamus. Diuus Auguſtinus in præclaro illo opere, cui titulum fecit De Ciuitate Dei, quoſdã dicit appellatos fuiſſe Conſentes, quoſdam Selectos, cuius hæc ſunt verba lib. 4. cap.23. Quis enim ferat, quòd neque inter Conſentes Deos, quos dicunt in conſilium Iouis adhiberi; nec inter Deos, quos Selectos vocant, Felicitas cõſtituta eſt? Ecce diſcrimen apertum inter Deos Cõſentes & Selectos. Conſentes aũt dicti ſunt, quaſi in

eo

eo quod gerendum est, cõsentientes. Appellantur à Cicerone alio nomine Dij maiorum gẽtium, quasi inter oẽs alios principatũ obtinentes, ad differentiã illorũ qui minorũ gentium dicũtur, quos M. Varronẽ in Põtificalibus Breues appellare deos, auctor est Fulgẽtius. Erãt aũt Dij Cõsentes, seu, Maiorũ gentiũ, numero 12. mares 6. & totidem fœminæ. quos Ennius hoc disticho complexus est.

Iuno, Vesta, Minerua, Ceres, Diana, Ven⁹: Mars
Mercurius, Iouis, Neptunus, Vulcan⁹, Apollo.

Põponius Lætus diligẽtissimus ex recẽtioribus antiquitatis indagator, scribit horũ singulis suũ mensem olĩ sacrũ fuisse: nẽpe Ianuariũ Iunoni, Februariũ Neptuno, Martiũ Mineruæ Aprilẽ Veneri, Maiũ Apollini, Iuniũ Mercurio, Quintilẽ Ioui, Sextilẽ Cereri, Septẽbrem Vulcano, Octobrẽ Marti, Nouemb. Dianæ, Decemb. Vestæ. idq́ ad exẽplũ Chaldæorũ et Ægyptiorũ, apud quos singulis dijs (colebãt enim & ipsi duodecĩ præcipuos) singuli mẽses erãt attributi. His aũt duodecim Dijs Cõsentibus, seu, Maiorũ gentiũ, quẽadmodũ Cicero & Lactãti⁹ eos appellare maluerũt, additi erãt octo Patricij, q̃ et ipsi magnos in mũdi administra-

 tione

tione gerere putabãtur magistratus: Ianus, Saturnus, Genius, Pluto, Bacchus, Sol, Luna, Tellus. vocabanturq́; isti, Dij Selecti. quamquã omnes simul coniuncti interdũ Selecti dicerẽtur. Erant ergo Dij insigniores numero viginti. duodecim mares, & octo fœminæ: & inter eos duodecim veluti principes. Coniungebant autẽ omnes illos viginti hoc modo: Iouem & Iunonem: Apollinẽ & Dianã: Mercuriũ & Mineruã: Liberũ & Cererẽ: Saturnũ & Tellurem. omnes istos propter officiorũ communionem. Tum Martẽ & Venerẽ amasios: deinde duos ignes, Vulcanũ & Vestã: et duo mũdi lumina, Solem & Lunã. Ianũ verò, Neptunũ, Geniũ & Plutonẽ, sine fœminis relinquebant. Et hæc quidem de Dijs Consentibus & Selectis. Erãt præterea Dij quidã Incerti, quidam Ignoti. Incerti dicebantur, de quorũ diuinitate adhuc dubitabatur, quales sunt Panes, Syluani, & Nymphæ. De quibus Ouidius in princip. Metamorph. sub verbis Iouis.

Sunt mihi semidei, sunt rustica numina fauni,
Et nymphæ, Satyriq́; & mõticolæ Syluani.
Quos quoniã cœli nondũ dignamur honore,
Quas dedimus certè terras, habitare sinamus.

Ignoti

Ignoti autem non erant iidem cum Incertis. Nam de Incertorum diuinitate dubitabatur quidem, sed tamen eorum nomina non ignorabantur, sicut Ignotorum. Referũt Epimenidē Cretensem Diis ignotis sacras aras in agro Atheniensi primum erexisse. Cùm enim regio illa peste laboraret, consultusq́; Apollo respondisset, agros expiari debere; nec cui Deo sacra facere oporteret, aperuisset: consuluisse Epimenidem, per agros dimittendas hostias; & in quo loco quæq; constitisset, ibi eam sacrificandam esse Deo Ignoto Propitio: itaque vsq; ad tempora Diui Pauli frequẽtes in terra Attica extitisse sacras aras sine nomine, cùm hac inscriptione tamẽ θεῶν ἀγνώστων quod etiam ex actis Apostolorum probari potest, in quibus scribitur Diuum Paulum, quisnã esset ille Deus Ignotus, Atheniensibus explicasse. quo loco notabit lector Apostolum pia vsum vafritie titulũ nonnihil immutasse. Nã cùm ille passim plurali numero legeretur in hunc modũ, DIIS IGNOTIS, summa dexteritate sic apud illos egisse, quasi titulus haberet singulariter, DEO IGNOTO; idq́; vt cõmodius ad id quod satagebat, deueniret: nempe ad prædicã-

dum

dum IESVM Christum, quē volebat illis ostēdere, illum ipsum esse, quem huc vsque ignorantes coluissent. Erant & quidam Dij Medij, quos Medioxumos Romani vocabant: quidam Infimi & quasi Terrestres, quos dicebāt Heroes: quidam Semones, quos propter meritorum exiguitatem nec omnino censebāt cælo dignos; nec terrenos eos prorsus deputare volebāt, propter gratiæ venerationem: cuiusmodi sunt Priapus & Vertumnus. Quidam Semones dici putant eos, qui, quicquid ab aëre vsque ad terram interualli est, incolebant, quiq́; vota mortalium ad superos deferebant, vt scilicet ijdem essent cum Medioxumis. Diuus Augustinus Ianum vocari credit Semonem, quòd seminio præsit, dum concipitur infans. Erant & Dij Patellarij, ita dicti quòd Patellis, quæ vasa erant in sacrificijs vsurpari consueta, placarentur. Plautus. Dij me omnes, Magni, Minuti, & Patellarij. Et Ouidius.

Fert missos Vestæ pura patella cibos.

Item quidam Inferni, quidam Marini, quidā Fontani, quidam Fluuiales: de quibus extant aliquot Luciani dialogi: quidam etiam

ab ijs

ab ijs officijs quæ sortiti erãt, nomẽ cõueniens nacti, vt Dea Cuba, Dea Potina, Deus Vitumnus, Deus Vagitanus, alijq́ eius farinæ innumeri, quos omnes (ni fallor) vel Minorũ gentiũ Deos, vel Plebeios Minutosq́ cũ Plauto rectè vocabimus. Minutorũ meminit etiã cum alibi, tũ lib. de Ciuita. Dei. 4. cap. 9. Diuus Augustinus. Sed quid ego vnius atq; alterius generis Deos gentilium recensere pergo? cũ illos cõstet tanta caligine obscuratam mentem habuisse, vt, cùm vnum solum esse Deum, facilè, si voluissent, intelligere ex operibus eius potuissent: tot tamen atq; tã innumeros constituerunt, vt multitudinẽ illorũ ad nescio quot millia excreuisse Marcus Varro auctor sit? Quippe nullã propè rem, imò nullã actionẽ seu operationẽ stulti hoẽs reliquerunt, cui nõ Deũ aliquẽ præfecerint. In hoc autẽ opere eum sequemur ordinẽ, vt primum de Dijs Maiorum gẽtium tanquã præcipuis dicamus: deinde de octo alijs, quos antè diximus Selectos appellari. De *Plebeis autem nullum sermonem habebimus, vel quòd infinita sit illorũ multitudo, vel quòd ipsi nullis, aut paucis admodum cognominibus insigniti sint. Et quoniam inter Consentes, seu*

Maio-

Maiorum gentium deos, Ioui principem locum veteres tribuebant, ab eo auspicabimur. Verùm antè admonendus est mihi lector, consueuisse aliquando veteres Dijs vtrũque sexũ tribuere, quemadmodũ Valerius Soranus hoc disticho testatur.

Iuppiter omnipotens regum, rerumq́, deûmq́.
Progenitor, genitrixq́ deûm, Deus vnus & idem.

& Orpheus hoc versu translato:

Iuppiter & mas est, & fœmina nescia mortis.

& Virgilius ita legente Macrobio:

Discedo, ac ducente Deo flammam inter & hostes Expedior. —— vt sit Deo, pro Dea Venere: & Caluus antiquus poëta:

—— pollentémque Deum Venerem.

& Leuinus: Venerem igitur almum adorans.

Quod sumtum videtur ex Stoicorũ dogmate, qui numina dicebãt vtriusq; esse sexus, hoc est, in agendo mares, in patiẽdo fœminas. Illud notissimum est, eosdem Stoicos vnum tantum esse Deum credidisse, nomináque eius variari pro diuersis actibus & officijs. hinc sacrificaturam Inferis Didonem, Iouem Stygiũ pro Plutone nominare: Virgilius.

Sacra Ioui Stygio, quæ rite incœpta paraui.

& apud

& apud eundem poëtam, Iunonem Infernam dici pro Proserpina.

—— Iunoni Infernæ dictus sacer:

Liberum pro Sole, Cererem pro Luna. in principio Georgicôn.

Liber & alma Ceres, vestro si munere Tellus:

Vnde hæc esse Iouis ad Deos Cælestes apud eundem poëtam verba:

Cælicolæ, mea mẽbra Dei, quos nostra potestas

Officys diuisa facit. *De qua re vide latius apud Augustinum, eo quem modò citaui libro, capite. 11.*

DE IOVIS COGNOMINIBVS Caput tertium.

QVoniam autem multos Ioues faciũt, multos Apollines, multos Mercurios, multas Veneres & multas Mineruas: operepratium mihi facturus videor si lectorem duobus verbis admoneam, omnia me Iouis, Apollinis & cæterorum cognomenta, sub vnius tantum persona toto hoc opere relaturũ. Nam præterquàm quod hoc ad docendũ longè accommodatius est, etiam supra cuiusquam inge-

ingenium eſſe arbitror, vt quæ cui Ioui, Apollini, Mercurio, Veneri, & Mineruæ attributa ſint cognomina, diſtinguere valeat. Sed & quia exſpectare poſſet aliquis iſtorũ cognominum phyſicas vbique rationes: præfandum quoque mihi eſt, non fuiſſe mihi propoſitum, vt in his libris vllum Deorum cognomen cũ rerum naturalium ratione coniungerem, niſi ſicubi vltrò ſeſe offerret occaſio: non ſanè quod laborẽ ſubterfugerem, ſed quòd hoc per omnia præſtare prorſus ἀδύνατον *putarem. Nam vt fortaſſe facilè ſit nonnulla ad phyſicen referre, ita eorum, quæ à locis tributa ſunt, naturalem aliquã rationem exquirere, nõ perinde certè factu fuerit facilè. Itaq; nuda vocabulorũ explicatione contentus, ad rem ipſam nũc bonis, vt ſpero, auibus accingor. Dictus eſt latinè Iupiter, à iuuãdo, quaſi Iuuans Pater. ſiquidem phyſici Iouem eundem eſſe volunt cum æthere. nulla aũt res eſt, quæ ſic fouet omnia, atque calor. Hinc vocatus eſt, teſte Varrone:*

——— *Diuumq; hominumq; Pater, Rex.*

Pater, inquit, quòd patefaciat ſemen. Fortaſſis & ab eadẽ cauſa à Latinis Maius dictus eſt, quaſi qui maieſtate ſua ex terra cuncta creet.

Maia

Maia enim eadem eſt cũ Terra, vt libro vltimo dicemus, à qua magis, quàm ab vllo alio elemento iuuamur. Eandem ob cauſam & à Græcis γενέτωρ, *& à Latinis Genitor dictus eſt, quo nomine Apollo quoq; vocatus eſt, vt quarto capite dicemus. Certè Herodot⁹ auctor eſt Ioue͂ à Scythis Pappæũ dici.* πάππαρ *enim eis patre͂ ſonare, hocq́; nomine freque͂ter nuncupari;. Græcè* ζεὺς *dicitur, quòd, vt oe͂s interpretantur, vitæ dator ſit: vel, quòd animantibus vitas inſpiret. Verùm Lactãtius hãc etymologiã irridet, & iure quide͂; magiſq́; ei placet, vt* ζεὺς *dictus ſit, quod primus ex liberis Saturni marib⁹ furtim à matre ſubtractus vixerit. Quomodo enĩ, inquit, vitæ dator ſit, aut animas inſpiret, qui aliundè vitã accepit? Hic* De⁹, *ꝙ principatũ inter alios oe͂s obtineret, græcis* βασιλεὺς, *& Latinis Rex,* κατ᾽ ἐξοχὴν *cognominatus eſt. qua appellatiõe et in Græcia plurib⁹ locis, et Romæ cultũ fuiſſe, multi retulerũt. Ab hac quoq; imperij amplitudine, maieſtateq́;, nũc* ὑψιμέδων, *nũc* ὕψισος, *nũc* ὕπατος *nominat⁹ eſt. quãquã* ὑπάτου *cognome͂, ab Hypato monte ſupra Gliſſante͂ Bœotiæ ciuitate͂; &* ὑψίσου, *ab Hypſiſta vna ex portis Thebarũ,* non-

nonnulli deriuatum malint. Cæterum Pausanias tradit illum à Cecrope vetustissimo rege ὕπατον, *id est, Supremum cognominatum fuisse: eúmque instituisse, vt ei nullæ res animatæ immolarentur: sed molæ ex farina tenuissima cōfectæ sacrificarentur, quas Athenienses* πελάνους *vocabant. Ab eadem magnitudine, bonitatéque, appellatus etiam est à Latinis cōiunctim Optimus Maximus, vt testis est Cicero in.2.de natu.Deo.his verbis. Sed ipse Iupiter, id est, Iuuans Pater, quem cōuersis casibus appellamus à iuuando Iouē, à poëtis Pater Diuûmq; hominemq; dicitur: à maiorib⁹ aūt nostris Optimus Max. & quidem antè Optimus, id est, beneficētissimus, quàm Maximus: quia maius est certè, gratiúsque prodesse omnibus, quàm opes magnas habere: & à Lacedæmoniis* ἐπιδότης *auctore Hesichio, quòd mortalibus omnia bona dare putaretur. Ex eadem caussa dictus est &* πλούσιος *&* κτήσιος, *id est, diuitiarum & possessionum largitor.*

Sed ô deplorandam Gentilium cæcitatem, qui scelerato homini ea tribuerunt cognomina quæ soli Christo conueniunt. Quippe in illum solum Optimi Maximi, Epidotæ, πλουσίου, *&* κτη-

κτησίε cognomina competunt; vt à quo solo ceu vberrimo fonte bona omnia nobis affatim proueniant. Erat & Iupiter Perfector, Iunoq́; Perfectrix (sic enim eos vocat Diodori interpres. nam græcum codicem nondum mihi videre contigit) ita dicti, quòd hi primi duces perfectoresq́; rerum omnium fuisse crederētur: & ξένιος, id est, Hospitalis, de quo Virgilius,

Iupiter, Hospitibus nā te dare iura loquuntur.

Meminit & huius διὸς ξενίου Maximus Planudes in vita Æsopi. quo loco quidam pro Ioue hospitali, Deam extulerunt hospitalem. Certè Mineruam Deam, Hospitalem quoque fuisse dictam, auctor est Pausanias: & ἑταιρεῖος, id est, sodalitij iuris disceptator. Huic Iason cum Argonautis Hetæria sacra instituisse dicitur: & ὁμόγνιος, quem gentiles, cognatiq́; inuocabant: & φράτριος, id est Tribulis, cuius festus dies celebrabatur secundo die τῶν ἀπατουρίων, id est, deceptoriorum: de quibus in Minerua lib. 2. nonnihil dicemus: & φίλιος, quòd amicitiæ præesset: & ὅρκιος quòd esset violati iurisiurandi vindex. Huius autem Iouis Horcij ferunt eo in loco, vbi Eliorum cogebatur Senatus, fuisse statuam effigie

horrendam, quippè vtraque manu fulmina tenentem, credo, vt homines à periurio deterrerentur. Nam ante pedes Iouis Horcij posita erat tabella, in qua inerant scripta quædam carmina, quæ terrorem periuris incuterent. Iuxta hanc statuam pugiles, qui ad certamen Olympicum ascendebant: iurare super mactatum porcum conceptis verbis oportebat: nihil se fraudis vt aduersarium facilius supplantarent, adferre, sed omnia se secundum leges Olympicas facturos esse. Quemadmodum autem græcis per Iouem Horcium, ita & Latinis per Iouem Lapidem iurare moris erat: quod olim apud veteres Romanos sanctissimum fuit iusiurandum. Vnde ab illis Iupiter quoque Lapis, siue, Lapideus dictus est. quod cognomen à prisco feriendi fœderis ritu originem sumsit, quod à Patre Patrato fiebat, altera manu lapidem tenente. Præerat autem percutiendis fœderibus Iupiter. Inde fiebat, vt per Iouem Lapidem semper iurarent. Cæterùm iuraturus manu silicem tenens, huiusmodi ferè verba enuntiabat: SI SCIENS FALLO, qui me despicit salua vrbe arceq; bonis eijciat, vt ego hunc lapidẽ.

Titus

Titus Liuius ſcribit iuraturos dextra manu lapidem, agnum ſiniſtra tenuiſſe conſuetos: pòſtque Iouis ac cæterorum inuocationem oraſſe, ITA SE MACTARET, vt ipſi pecudem mactaſſent, cùm ſcilicet agni caput ſaxo eliſiſſent. Ferunt Oreſtem ſuper quodam lapide ſedentem, quem aliqui Candidum, aliqui Otioſum ex Pauſania verterunt, qui quidem à Gythio tribus diſtabat ſtadijs, à furore liberatum: eáque de cauſſa lapidem illum, Iouem Capotem, vt vult Pauſanias, ſiue, vt apud Gerbelium ſcriptum eſt, Lappetam Dorica lingua cognominatum. Colebatur & Iupiter Croceates lapideo ſimulacro, à Croceis Lacedæmoniorum vico, vbi erat inſignis lapidicina, ſic dictus. Ariſtoteles in libro de Mundo.

Cùm Deus, inquit, vnus ſit, multa nomina habet ab effectionibus varijs. Dicitur enim ζεὺς, *&* ἀστραπαῖος, *id eſt, Fulgurator: &* βρονταῖος, *id eſt, Tonans: &* αἴθριος, *id eſt, Serenator: &* κεραύνιος, *id eſt, Fulminator: et* ἐπικάρπιος, *id eſt, Fructifer, ſiue, Frugifer: &* πολιεὺς, *Vrbicus: &* γενέθλιος, *Natalitius.* κεραυνίῳ *aũt Ioui Oenomaus templũ condidit, cũ*

fulmen in ipsius domum descẽdisset. Apuleius verò, videtur Aristotelem ad verbum transtulisse, ita in libro de Mundo ad Faustũ scribens. Vnus, inquit, est Deus, vnumq́; numen: pluribus quidem nominibus propter specierũ multitudinem, quarum diuersitate fit multiformis. Nam à iuuando Iupiter dicitur, quem Ζῆνα; *quòd vitæ nostræ auctor sit, rectißimè appellant. Idem Fulminator, Fulgurator, & Tonitrualis ac Serenator dicitur. Plures Frugiferum vocant, multi Vrbis custodem, alij Hospitalem, Amicalemq́;. Polieo autem Ioui, seu Vrbico, Pausanias in Atticis sic sacrificari solitum refert. Ordeum tritico admistum, vt ad eius mensam posuerant, illicò discedebant: & bouem, qui sacrificio destinatus erat, ad aram abigebant. Vnus è sacerdotibus qui Buphonus, id est, bouicida dicebatur: proiecta eo loco securi, protinus aufugiebat. Alij autem facti autorem ignorantes, securim in Iudicium deferebant. Quam consuetudinem inde fluxisse idem paulò pòst auctor est, quòd regnante Erichtheo sacerdos mactato ad aram Iouis Poliei boue, relicta ibi securi aufugisset, ac securis in iudicium postea delata absoluta fuisset.*

Plur-

Phurnutus scribit eum νεφεληγερέτην, & ἐρίγδουπον vocatum, quòd nubes ac tonitrua cogat, ac inde fulmina torqueat. Fortassis ex eadem caussa Homagyrius quoque dictus est, quo nomine in Aegæo cultus fuit. Sed Pausanias mauult ita dictum esse, quòd Agamemnon eo loco feratur Græciæ Principes congregasse, vt deliberarent, quonam pacto expeditio aduersus Priamum susciperetur. Meminit etiã Aristoteles in eo quem modò citaui libro, Iouis ἑρκείου, Iouis ὑετίου, & Iouis πατρίου. Dicebatur autem ἕρκειος, quod intra vallos & septa domorum coleretur. Penetralem quoque iccirco vocauerunt. Ferunt, Ouidius, Herodotus, Dares Phrygius, & alij, Priamum ad aram Iouis ἑρκείου (quem Hercæũ vertunt) à Neoptolemo interfectum, quod quodammodo Virgilius in.2. Ænei. his versibus innuit:

Ingens ara fuit, iuxtaq; veterrima laurus
Incumbens aræ, atq; vmbra cõplexa Penates.

& paulò pòst de Neoptolemo loquens:

—— hæc dicens, altaria ad ipsa trementem
Traxit, & in multo lapsantem sanguine nati.

Verùm Dictys Cretensis nõ ad Hercæi, sed Ædificialis Iouis aram (quæ quidem eadem

cum Hercæi videri potest) Priamum interfectum esse tradit. Iouem autem ἑρκεῖον, *eundem esse volunt cum Ioue Larißæo, & Pausanias auctor est Iouem hunc Priamo Patrium fuisse, & in aula sub dio stetisse, captóque Ilio ad huius aram confugisse, & spolijs diuisis Stenelo ceßisse, eúmque postea in Larißæ mõtis cacumine dedicasse, templúmque ei tecto carens erexisse. Addit simulacrum eius ligneum tribus oculis insignitum fuisse: quòd in cælo, terra & mari regnare crederetur. Vnde &* τριόφθαλμος *græcè, latinè Trioculus dictus est. Alij malunt sic appellatum ab insigni prudentia, qua cælum, terram, ac mare gubernare credebatur: aut quòd multis exploratoribus ceu oculis vteretur, quemadmodum Reges faciunt. Porrò qui illis* ὑέτιος *siue,* ὄμβριος *cognominatus est: nostri Pluuium appellarunt. Erat autem in Idæ Gargaro ara Iouis Pluuij, item Tonãtis & Fulguratoris (quorum nominum supra meminimus) ad quam ariete sacrificari solitum autor est Lucianus sub Iouis Ganymedem ita alloquentis, & Ganymedis ita respondentis, verbis.* Διὸς οὖν ἤκουσας ὄνομα, οὐδὲ βωμὸν εἶδες ἐν τῷ γαρ-

γά

γάρῳ τοῦ ὕοντος, καὶ βροντῶντος, καὶ ἀστραπὰς ποιοῦντος; γα. σὺ ὦ βέλτιστε φὴς εἶναι, ὃς πρώην κατέχεας ἡμῶν τὴν πολλὴν χάλαζαν, ὁ οἰκῶν ὑπὲρ ἄνω λεγόμενος, ὁ ποιῶν τὸν ψόφον, ᾧ τὸν κριὸν ὁ πατὴρ ἔθυσεν. *Et paulò pòst idem Ganymedes impatienter se ita ab Ioue rapi ferens, reduciq́; in Idam ad patrem cupiens, hunc in modum Iouem alloquitur:* εἰ ἀπάξεις με, ὑπισχνοῦμαί σοι καὶ ἄλλον παρ' αὐτοῦ κριὸν τεθύσεσθαι, λύτρα ὑπὲρ ἐμοῦ. *Erat & in Hymetto mōte, prope Athenas, ara Ioui Pluuio dicata, ad q̄ in summa siccitate cōfugiebāt aquā cōprecaturi, vt est apud Tibull.*

Te propter nullos tellus tua postulat imbres
Arida, nec Pluuio supplicat herba Ioui.

A quo monte Iupiter quoq; Hymettius dictus est. Videtur verò Pausanias Iouē Innoxiū, id est, vt ipse vocat, ἀπήμονον, *eundē facere cum Pluuio. Refert idē auctor in Moluridæ montis vertice Iouis fanū fuisse cognomento* ἀφεσίου. *Nā cū in siccitate Græciæ Aeac⁹ ab Apolline iussus, Ioui Panellenio (sic enim dictus est, q̄ ꝫ vniuersa Græcia coleretur) sacra in Aegina fecisset: Iouē calamitatē hāc remouisse, eáq; de causa,* ἀφέσιον *.i. Dimissorem appellatū fuisse.*

Cæterùm Athenienses Patrium Iouem, Patriúmque Apollinem propterea cognominauerunt, quòd primi omnium eos in regionem suam exceperint, sacraq́; eis per singulas tribus fecerint. Alij volunt Iouē tūc ab Atheniēsibus Patrium appellatum, cùm post ipsius in Creta educationem apparuisset: Apollinem verò vt patrem cultum, quòd Creusam Erechthei filiam vxorem duxisset. Macrobius tamē mauult Patroum dictum (sic enim legit) non ratione gentis aut ciuitatis alicuius, sed tanquā hoc auctore progignātur omnia. Sol enim prima caussa est rebus omnibus progenerandis, & pro Sole poni Apollinē credit. Scribit Pausanias ad Platæas Bœotiæ ciuitatem, non procul à communi græcorum sepulcro, Iouis ἐλευθερίου, *id est, Liberatoris templum fuisse, iuxta quod armatorū currentium certamē quinto quoq; anno celebrabatur. Strabo lib. 9. ait Ioui cognomē hoc inditum, quòd apud Asopū Platæarum amnē Græcorum copiæ Mardoniū cū trecentis Persarum millibus ad internecionē deleuissent: ludosq́; in honorem Iouis* ἐλευθερίου *institutos, Eleutheria, id est, Liberatoria vocatos fuisse. Erat etiā Athenis Iuppiter*

μηλίς

μηλίχιος, cui nullum animal immolabatur, ſed qui tantum pomis, quæ græci μῆλα vocant, placabatur. Alij ſcribunt μειλίχιον per ει in prima ſyllaba, deriuantq́; appellationem à mãſuetudine. μειλίχιος enim mitem & placabilem ſonat. Pauſanias in Corinthiacis auctor eſt, poſt Briãtem Ducem Argiuum, ob illatũ virgini cuidam, quæ ad ſpõſum ducebatur, vitium, eiuſq́; ſatellites à populo inclementer cæſos, & alia multa expiandi ciuilis ſanguinis cauſſa facta eſſe, & Iouis μειλιχίου, ſignũ dedicatum fuiſſe. Idem refert ad aram Iouis Milichij Theſeum occiſo Sinide inſigni latrone, à Phytali poſteris purgatum fuiſſe: & in Phocicis, apud Myoneam ciuitatem, quæ non procul à Naupacto ſita fuit, lucum & aram fuiſſe Placidorũ Deorũ, quos Græcè θέους μειλιχίους vocant, illiſq́; nocturna ſacra fieri conſueta, in quibus vniuerſæ carnes noctu, & priuſquàm exoriretur ſol, abſumerentur. Nuncupatus eſt etiam φύξιος, quem alij Fugitiuum, alij verò Abſolutorẽ verterunt. Huic Deucalion in mõtem Parnaſſum tandem delatus, cùm imbres decreuiſſent, egreſſus arca ſacrificaſſe dicitur. Sũt qui ſic eum dictum velint, non tam quod fugi-

fugitiuos & exules ad ipsum confugientes defendat, quàm quòd mala propellere ac fugare crederetur. Scribit enim Budæus in cōmentarijs linguæ græcæ, φυξίους *eos dæmones dictos fuisse, qui nocumenta auertere, dirasq́; amoliri putarētur, qui & ex eadem caussa vocabantur alio nomine* ἀποπομπαῖοι, ἀποτρόπαιοι, καὶ λύσιοι. *Inuenio scriptū alibi* φρύξιος, *vt tūc deducatur à Phryxo Athamantis filio, qui ariete vectus eum sacrificauit Deo Ioui. Meminit & Herodot⁹ Iouis* καθαρσίου, *id est, Expiatoris, ad quē etiam respexisse videtur Virgilius hoc versu, Æneid.3.*

Lustramurq́; Ioui, votisq́; incendimus aras:

& Phurnutus Iouem ab aliquibus auctor est appellatū ἀλάστορα, καὶ παλαμναῖον, *quod impuros ac cæde madentes homines dignis afficiat supplicijs:* ἀλάστορας *enim eos dici, qui scelerum furijs adacti paßim vagātur: &* παλαμναίους, *qui ob cædem impiè patratam nunquam expiari possunt. Certè qui ab aliquo facinore expiari volebāt, præter Phyxium & Catharsium, Iouem quoque* ἱκέσιον, *id est, Supplicem venerabantur. Appellatus fuit & à Lydis* λαβραδεὺς, *quòd in dextra securim, non ful-*

fulmen haberet. Nam Lydi securim vocant λάβρυν. Erat autem securis Regum Lydiæ gestamen: & ἀγοραῖος à Siculis, quòd foro præesse putaretur, quo nomine honestati sunt cùm alij aliquot Dij, tum præcipuè Mercurius ipse, vt in Mercurio dicemus. Nuncupatur & Homero ἀγκυλομήτης, quòd aliud foris ostendat, aliud in animo habeat; quodq; obliqua & perplexa sint eius consilia. Phurnutus cognomen hoc Saturno tribuit, quòd quædā occultet, quædam ostentet. In illum enim refert vniuersum generationis progressum, propter eius cum Rhea, quæ eadem cum terra est, cōmistionē. Erat & apud Athenienses Quingētorū curia, qui senatorio munere anno fungebātur. In ea erat posita Iouis βουλαίου, id est, Consiliarij statua: & apud Thespienses fuit Iouis Saotæ signum, cui ex hac caussa cognomen hoc ei tribuerunt. Nam cùm draco ciuitatem, mirum in modum infestaret, & Iupiter iussisset, vt singulis annis Ephebū sortirentur, quem feræ immolarent, sorsq; Cleostrato obuenisset: Menestratus eius vicem dolens, thorace æneo indutus, cuius singulis squamis sursum versum hami ferrei additi erant, beluam interfecit

ciuitatemq; tanta seruitute liberauit. quo facto Thespienses simulacrum aeneum Ioui Saotae, id est, seruatori erexerunt. Dictus autẽ est Saotes, quasi Sootes. Nam & ipse dicitur à Plutarcho in vita Demosthenis σώτηρ, sed immeritissimè, quippe soli Christo cognomen hoc cõuenit, vt qui solus seruare & velit & possit. Scribit Herodotus solos Cares ex his quos nouit, Ioui στρατίῳ, id est, Militari hostias offerre: & Plutarchus in vita Pyrrhi dicit, Regibus Epirotarum morem hunc fuisse, vt singulis annis Ioui ἀρείῳ, id est, Martio, seu Pugnaci sacra facerent. Pausanias auctor est, Oenomaum quoties cũ aliquo ex Hippodamiae procis equestre certamen susceptur⁹ esset, Ioui ἀρείῳ sacrificasse. Idẽ in Corinthiacis obiter meminit Iouis σθενίου, id est, Fortis ac Robusti. Strabo lib. 4. refert Mylasios duo Iouis tẽpla habuisse: alterũ eius qui lingua patria Osogò, & alterum eius qui à loco Labrandenus vocabatur. Seruius ad illud Virgilij,

Circaeumq; iugũ quêis Iuppiter Anxurus aruis
Praesidet, —— *ait circa illum Campaniae tractum coli puerum Iouem Imberbẽ Anxurum nomine, quasi ἄνευ ξυροῦ, id est, sine*

nonacu-

nouacula. Colebatur & Iupiter Imberbis in Olympia teste Pausania. Nominatus præterea fuit ἀιγίοχος, quasi τὴν αἰγίδα ἔχων, vel ἀπὸ τῆς ὀχῆς, καὶ αἰγὸς, à cibo & capra, à qua nutritus fuisse fingitur, & quam postea inter sydera retulit. Germanicus Arati interpres.

—— illa putatur
Nutrix esse Iouis, si verè Iuppiter infans
Vbera Cretææ mulsit fidißima capræ,
Sidere quæ claro gratum testatur alumnum.

Phurnutus mauult eum Ægiochũ nũcupatum propter venti turbines, deducitq́; nomen ἀπὸ τοῦ ἀΐσσειν, quod significat impetu ferri. Vocatus etiam est Hecalius ab anicula quadam Hecale nomine; quæ cùm Theseum quodam tempore comiter excepisset, promisissetq́; ei se suam ipsius animam Ioui immolaturam, si saluus ex prælio domum rediret: atque ante reditum Thesei obiisset: occasionem Theseo dedit, vt in honorem ipsius sacrum Hecalesium Ioui institueret, eumq́; Hecalium vocaret. Refert Plutarchus in Theseo. Inuenio in Olympia quoque aram fuisse Iouis Mæragetæ, cui ideò cognomen hoc inditum est, quòd quæ mortalibus à Parcis destinata sunt, non ignoret.

ret. Pausanias auctor est in Apollinis templo simulacra duarum Parcarum fuisse, Iouémque pro tertia astitiße cognomento μοιραγέτην, *& eodem nomine ibi Apollinem fuiße. Viues in commẽtarijs in Augustinum, ex Aristotele: Iupiter, inquit ipse est etiã Fata, & omnia quæ de Fatis dicuntur & Parcis. nempè,* ἀνάγκη, καὶ μοῖραι, καὶ νέμεσις, καὶ ἀδράστεια.

In eadem Olympia fuit etiam ara Iouis χθονίου, *id est, Terrestris: &* καταβάτου, *id est, Descensoris. Appellatus est autem Descensor, vel quòd eius nutu fulmina in terram descendant, vel quòd in varijs formis ad amasias descenderit. Aristophanes in Comœdia, quam Pacem inscribit, scarabeum ponit in tutela Iouis Descẽsoris, fortaßis quia semper ad stercora delabitur. Dictus est & græcè Cocygius, & latinè Cuculus, quòd Iunonis desiderio in auẽ hãc transformatus sit. In Africa autem colebatur sub Ammonij nomine, quod Arenariũ sonat. Liber enim Pater cùm per Lybiã exercitũ duceret, siti fatigatus, Iouis patris auxiliũ implorauit, statimq; viso ariete fons inter arenas effluxit. quod Liber cõspicatus, vt gratias patri referret, ei tẽplum in eo loco exstruxit, simula-*

mulacbrumq́, capite arietino posuit, & eum Ammonium ab arenis nuncupauit, vt auctor est Seruius in illud Virgil.

Hic Ammone satus rapta Garamantide (nympha.

De hoc Cornuto Ioue sic Lucanus in nono suæ Pharsaliæ.

——— Stat Corniger ille
Iupiter, vt memorãt, sed nõ aut fulmina vibrans,
Aut similis nostro, sed tortis cornibus Ammõ.

Diodorus scribit Osiridẽ duo tẽpla Ioui aurea statuisse. alterum maius Ioui Cœlesti, alterum minus Ioui patri suo, quem quidam, inquit, Ammonem vocant. Curtius de Ammone Ioue loquens: Hunc, inquit, cùm responsum petitur, nauigio aurato gestant sacerdotes cum multis argenteis pateris ab vtroque latere pendentibus. Herodotus autor est, huius Iouis Ammonis templũ iussu Cambysis direptũ atque etiam combustum fuisse: verùm exercitum grauissimas postea pœnas dedisse. Ferunt Alexandrum, cùm intellexisset Perseum & Herculem ad Ammonis oraculum adscendisse; & ipsum eo adscendere voluisse.

Cæterùm cùm incumbẽte validius austro repulsus fuisset, diúque per arenas errasset: tandẽ duobus coruis iter commonstrantibus, ad destinatum locum peruenisse: Iouísque sacerdotẽ Regi blandientem, eum Ammonis filium vocasse: & ambitiosum Regem hac cõpellatione sic delectatum fuisse, vt posteà non aliter quã Ammonis filius & dici & haberi voluerit. quod Olympias mater admodum egrè tulisse memoratur, cuius extat apud Agellium epistola ad filium hoc argumento scripta, Vt ne pergeret ipsam Iunoni inuisam reddere. Plura de his quoque Iustinus recenset, libro vndecimo: quem omnino vide. Fama est non procul ab Ammonis templo fontem fuisse, qui nocte media ferueat, manè calibus sit, & meridie rigeat. de quo sic Sillius in. 3.

Stat facie vicina, nouũ, & memorabile lympha
Quæ nascente die, quæ deficiente tepescit,
Quæq; riget medium cũ Sol ascẽdit Olympũ,
Atq; eadẽ rursus nocturnis feruet in vmbris.

& Lucretius in. 6.

Est apud Ammonis phanum, fons luce diurna
Frigidus, & calidus nocturno tempore fertur.

In templo Iouis Ammonis erant centum

aræ,

aræ, quemadmodum etiam ostendit Virgilius his versibus.

Templa Iouis centum latis immania regnis,
Centum aras posuit.

& Martialis in primo epigrãmate lib. primi:
Dissimuletq; Deum cornibus ara frequens.

Herodotus verò tradit Thebanos prius Iouem arietina facie coluisse: deinde Ammonios ad effigiem Iouis Thebani simulacrum eius arietino quoque aspectu finxisse: idcò autem Thebanos sic eũ formasse, quòd Iupiter amputato arietis capite, inductáq; pelle eius ita se Herculi ostẽderit. aliter enim se illi exhibere noluisse. atque hinc morẽ inoleuisse, vt à Thebanis arietes non mactentur, nisi vnus tantũ quotannis in festo Iouis, cuius pelle Dei simulacrum circundãt. Erat etiã apud Babylonios Iouis Beli templũ æreis portis duorũ stadiorũ amplitudine, figura quadrata, quod Herodotus scribit adhuc ætate sua exstitisse: inq; medio eius turrim fuisse, crassitudine simul & altitudine stadij, cui superimpositæ essent aliæ octo: & in postrema illarum sacellum fuisse, in quo erat lectus splendidè stratus, & aurea mensa; in eoq; templo neminem cubare solitũ,

præter vnam mulierem ex indigenis, quam ex omnibus Deus deligeret, quemadmodum & in Thebani Iouis templo factitari solebat; & hanc mulierem cum viris consuetudinem habere non oportuisse, ipsumq́; Iouem in lecto illo requiescere consueuisse. Scribit alibi idem auctor in Iouis Beli templo puluinar fuisse, ad quod confugientes tuti erant. Diodorus, interprete Poggio, de Babylonis structura loquẽs, loco, inquit, animalium æneæ statuæ inerant Nini ac Semiramidis, præfectorumq́; & Iouis insuper, quem Belum Babylonij vocant. & paulò pòst. Cõstat ob templi illius mirandam altitudinem à Chaldæis astrorum obseruationes in eo factas. Dionysij interpres Anienus.

——— Stat maxima Beli
Aula quoque argẽto, domus indo dẽte nitescit,
Aurum tecta operit, sola latè contegit aurum.

Scribit autem Pausanias, Iouem à Belo Ægyptio viro nomen hoc accepisse; sicut & Ammonem eum dictum ab Ammone pastore, qui eum primus erexit. Historia habet, Iouem Belum secundum fuisse Regem Babyloniorũ, Nini patrem. Lactantius verò auctor

est,

eſt, in phano Iouis Triphylij auream columnam fuiſſe ab ipſo Ioue poſitam, in qua res à ſe geſtas perſcripſit, vt eſſent poſteris monumentum rerum ſuarum. Diodorus ſcribit eos, qui in Panara ciuitate habitãt, dici miniſtros Iouis Triphylij, ſoloſq; eos ex his qui Panchæã incolunt, ſuis viuere legibus abſque Rege. & paulò pòſt, ait Iouis Triphylij templum in cãpeſtri loco poſitũ, quod tum vetuſtate, tũ ædificij magnificentia, tum natura loci mirabile habebatur. Refert Strabo Triphylios Triphilyæ populos ideò ſic vocatos, quòd tria illos φῦλα, id eſt, tribus, ſeu, nationes in vnum congregatæ coluerunt, Epæorum, Myniarum, & Elæorum. atq; ita innuit Iouem à loco, & locũ à tribus populis ſic denominatũ. Fuit & Dodonæus dictus à Dodona ſilua ei ſacra. Ouidius in obſcœno carmine.

Dodone tibi Iupiter ſacrata eſt.

Illic fuit fons mirabilis naturæ, quemadmodum his verſibus docet Rhemnius.

Hæc regio fontem mirandæ concipit vndæ,
Quem meritò veteres dixerũt nomine ſacrũ,
Nam gelidus ſuperat cunctarũ frigus aquarũ,
Accenſaſq; faces propè ſi quis duxerit vndã,

Extinguit flammas: recipit sed rursus easdem,
Admoueat dextra cũ extinctã lãpada fonti.

Dodonæum oraculum omniũ aliorum fuisse longè vetustissimum auctor est Herodotus. Reddebat & oracula in specu Trophonio. unde & Trophonius dictus est. de quo sic Strabo: Lebadia quidẽ est, vbi Trophonij Iouis cõstructũ est oraculũ, hiatus subterranei descensum habẽs. eò aũt descẽdit suscepturꝰ vaticiniũ. De hoc oraculo latè disserit Pausanias in Bœoticis: de quo etiã et de Dodonæo nõnulla vide apud Erasmũ in Chiliadibus. Similiter Olympiꝰ appellatus est, ab Olympo mõte. Pomponiꝰ Mela, In Achaia, inquit, numẽ delubrúmque Iouis Olympij fuit, certamine gymnico, & singulari sanctitate, ipso tamen simulachro, quod Phidiæ opus est, maximè nobile. Lactantius ex Euhemero, qui Iouis sacram historiã scripsit, refert in Olympo Iouem habitasse: hocq́ fortassis poëtis ansam dedisse, vt eum cœli regem dicerent, quòd Olympus ambiguum nomen sit & montis Cœli. Scribunt verò nonnulli Herculem, ob denegatam ab Augea rege promissam mercedem iratum, Elidem, cui Augeas imperabat, diripuisse; atq; ex prædæ manubijs

Ioui

Ioui patri, quem Olympium nominauit, templum posuisse; singulisq́. lustris, quòd quatuor fratres adhuc haberet superstites, certamẽ Olympicum instituisse, & coronam ex oleastro victori mercedis ergò proposuisse. quanquã & sint, qui asserant ab Hercule in Pelopis, nõ Iouis honorem, Olympica instituta, quibus adstipulatur Papinius his verbis:

— *Pisæa per arua*
Hunc prius Alcides Pelopi certauit honorem.

Illud nequaquàm prætereundum, lege prohibitũ fuisse, ne mulieres in Olympicis spectarent, quòd Callipatera, vel, vt alij volũt, Pherenice septum, in quo Athletæ certabant, transgressa, coram omnibus sese denudasset. Vnde est illud eiusdem poëtæ:

— *Exclusæq́. expectârunt premia matres.*

Hoc quoq́. dictu memorabile, quòd quæ remanebãt extra in aris Iouis Olympij, nec vento difflarentur, nec pluuia madefierent: sed anno circumuoluto æquè integra reperirentur, atque relicta fuerant. Quin & literæ (si hoc quoque credibile est) in cineribus scriptæ, inuentæ sunt vsque ad alterum annũ illæsæ permansisse. Porrò dicũt in Olympia pluribus an-

nis obſeruatum fuiſſe, inſtante certaminum celebritate muſcas inde omnes trans Alphæum ſponte auolare conſuetas. Cùm enim Hercules eo loco ſacrificans à muſcis infeſtaretur, Iouem oraſſe vt muſcas inde abigeret: quibus repentè trans Alphæum compulſis, Iouem à fugatis muſcis ἀπόμυιον, *id eſt, Muſcarium vocaſſe. Cæterùm in Olympicis victorem abire, hoc eſt, Olympionicem eſſe, iudicatum fuit olim in Græcia prope maius ac glorioſius eſſe, quàm Romæ triumphare, quemadmodum refert Cicero in oratione pro L. Flacco. De origine autem Olympicorum certaminum & eorum progreſſu, de Iouis Olympici templo, & donarijs, ſi quis plura noſſe vult, legat Pauſaniam in primo Eliacorum, qui de omnibus copioſè diſſerit, & Cœlium. Nos enim breuitati ſtudemus. Illud tamen prætermittere non poſſumus, quòd Dionyſius detracto Ioui Olympico aureo pallio, hoc loco ſacrilegium ſuum texerit, quòd diceret aurum æſtate nimis ponderoſum eſſe, & hieme nimis frigidum: proinde veſtem laneam vtrique tempori conuenientiorem eſſe. Diodorus autem Siculus (vt vnde digreſſus*

greſſus ſum reuertar) mauult Iouem appellatum eſſe Olympium , ab Olympico pædagogo, à quo eruditus & ad virtutem inſtitutus fuit. Erat autem Iupiter Olympius idem cum Ioue Eleo. Nemæus quoque vocatus eſt, à Nemæa Elidis regione , à qua & Nemæa certamina , quæ ſingulis quibuſque trienniis menſe Iulio in Iouis honorem celebrabantur, denominata ſunt.

His ludis præerant Argiui , Corinthij, & Cleonæi : conſtabántque certamine equeſtri , gimnicóque . Alij Nemæa in honorem Archemori & Hypſiphytes matris conſolationem , quæ eum amiſerat , primò inſtituta fuiſſe auctores ſunt: ideóque qui præerant Iudices , pullatos ſediſſe , quo luctus aliqua ſignificatio & apud matrem & apud poſteros relinqueretur . Nam cùm in tota Græcia quatuor præcipua certamina celebrarentur, quorum duo Cœlicolis dicata erant : nempè Olympica Ioui , & Apollini Pythia : & duo mortalibus, puta Melicertæ (qui poſtea Palæmon dictus eſt) & Archemoro : & vulgò credatur Iſthmia in honorem Palæmonis

institutua fuisse: reliquum est, vt Nemæa Archemoro consecrata sint. Cæterum cùm subsequentibus temporibus Nemæum leonem sucrasset Hercules, hos ludos posteà in honorem Iouis instituisse. De his quatuor certaminibus extat græcorum epigramma, quod ita latinè vertit Andreas Alciatus.

Sacra per Argiuas certamina quattuor vrbes
Sunt, duo cœlicolis, & duo facta viris.
Vt Iouis, & Phœbi, Melicertæq́;, Archemoriq́;
Premia sunt pinus, poma, apium atq; oleæ.

Sunt & qui Nemæa in honorē non Iouis, sed ipsiusmet Herculis post interfectum ab eo Nemæum leonem ab Argiuis primitus instituta contendant. De ludis autem Isthmijs nonnulla dicemus in Neptuno Isthmio. Creticus præterea nūcupatus fuit à loco natiuitatis & sepulturæ: item Idæus, & Dictæus, ab Ida & Dicta montibus, qui sunt in Creta. Virgil. in 7.
Idæumq́; Iouem, Phrygiamq́; ex ordine matrē Inuocat. Et lib. 2. Georgic.
Ante etiam sceptrum Dictæi regis.
Et in 4. de apibus loquens:
Dictæo cœli regem pauêre sub antro.

Colebatur etiam non procul à Creta Iupiter Cami-

Camiræus, cui Althemenes in ea Rhodi ora, quæ Camiros dicitur, templum cõstruxit, quod super montis Achabyri excelsum cacumẽ positum, vnde Creta conspici potest, adhuc tempore Diodori Siculi, vt ipse ait, præcipuo habebatur cultu. Scribit Herodotus Myslalos ostẽtasse vetustißimum delubrum Iouis Carij, quo Mysij ac Lydi communiter vtebantur, vt qui Caribus essent germani: quippe tam Lydum, quàm Mysum, Cares fratres appellare, atq; ob id eodem vti phano. Quotquot autem alterius sunt gentis, etiamsi Carum lingua vtantur, nõ tamen sacro participare. Fuit & Casius à mõte Casio, qui est in finibus Ægypti iuxta Pelusium ostium Nili, sic vocatus, vbi phanum ei dicatum erat. Refert Strabo corpus Pompei Magni non procul ab eo loco sepultũ fuisse. Quem autem Geographi Casium montem vocant, nostri Sinam eße adserunt. Erat & Iupiter Atabyrius ab Atabyrio monte Rhodi. Lactantius tamen mauult, vt capite quoque primo diximus, ab hospite suo sic esse nuncupatum: & Parnetius, à Parnete etiam monte, qui est in Attica: & Lycoræus, à Lycorea vico Delphico; vel potius à Lycoræo loci illius quon-

quondam rege: & Tarantæus, à Taranto Bythiniæ ciuitate: & Altios, ab Alti luco circa Olympiam ipsi sacro: & Anchesmius, ab Anchesmo monte iuxta Athenas: & Gnidius, cuius obiter tantùm meminit Plinius lib. 32. cap. 2. dicens in Labra fonte Iouis Gnidij, esse anguillas inaures additas gerentes: & Scotinas, à Scotina loco Lacedæmonis quercubus pleno, quasi tenebricosum dicas. Pausanias Scoticam vocat, magisq; ei placet, locum à Ioue, quàm Iouem à loco dictum esse: & Apesantius, ab Apesanto monte, qui est supra Nemæam, vbi Perseum Ioui Apesantio sacra fecisse memorant: & Laphystius, à colle Laphystio, vbi cùm Athamas Phryxum & Hellen liberos esset immolaturus, aries aurei velleris à Ioue immissus est, cui insidentes aufugerunt: & Ænesius, ab Æne monte Cephalenæ, vbi templum habuit: & Homoloius, ab Homolo monte Theßaliæ; vel, vt vult Suidas, ab Homoloia vate Ennyei filia, quam Delphos fuisse missam Aristophanes in Thebaicorum secundo memorat; vel quòd apud Æolos ὅμολορ, concors & pacificum dicatur. Fuit & Homoloia Ceres Thebis: & Cythæronius,

nius, à Cytherone monte illi ſacro, quo nomine dicta eſt & Iuno: & Aſcræus, ab Aſcra vico iuxta Heliconem natiuitate Heſiodi poëtæ maximè nobilitato. Nuncupata eſt & Venus Aſcræa, ab eodem loco, templumq; illi in metropoli Træzene ab Halycarnenſibus extructum fuiſſe Pauſanias auctor eſt. Refert Macrobius Aſſyrios Solem ſub Iouis nomine, quem δία ἡλιοπολίτην *cognominabant, maximis ceremonijs celebraſſe in ciuitate, quæ Heliopolis appellabatur. In Lycæo quoque Arcadiæ monte Iouis, ſic à loco dicti, templum erat, in quod viros ingredi nefas fuiſſe dicunt. Scribit Pauſanias in Lycæo lucum fuiſſe Ioui Lycæo ſacrum, atque hunc qui ingrediebatur, annum ſuperuiuere non potuiſſe: feráſque quæ eò confugerant, vmbram à ſe nunquam emittere conſuetas; atque ibi fontem fuiſſe, cuius aqua ſiccitatis tempore, à loci ſacerdote mota, imbres halitu ſuo ſtatim excitabat; quæ poſtea diſſolutæ, arentia loca circumquaque irrigabant. Plinius ſcribit Demetrium quendam in ſacrificio, quod Ioui Licæo fiebat, quòd carnem pueri, qui immolatus fuerat, deguſ-*

degustasset, repentè in lupum transmutatum. Pausanias hoc Lycaoni, qui puerum sacrificauerat, euenisse auctor est. Ab hac hominum in lupos transformatione sunt qui Iouem Lyceum dictum autumēt Cultus est & à Messenijs Iupiter Ithomata, ab Ithoma Messeniorum monte sic dictus, in quo Iouem à Neda & Ithoma Nymphis (à quarum altera fonti, ab altera monti nomen inditum est) ablutū fuisse memorant: indeq́; mansisse morem, vt quotidie ex eo fonte ad Iouis Ithomatæ templum deferrēt. Pausanias tradit Aristomenem Ioui Ithomatæ sacrificium, quod Hecatonphoniam à centenario interfectorū numero appellant, primum omnium instituisse, nec cuiquam Messenio huiusmodi sacrū facere liberum fuisse, qui non centum hostes occidisset, ipsumq́; Aristomenem ter hoc sacrū peregisse. Cæterū Eusebius refert ex Clemēte huic Ioui Aristomenem trecentos homines sacrificasse, & in his fuisse Theopompum Lacedæmoniorum Regem, nobilem scilicet ac Regiā hostiam. Erat & Iupiter Abretanus, ab Abretana quæ in Mysia est sic vocatus, cuius sacerdos fuit Cleon latro prius insignis, deinde Antonij

tonij, poſtea Auguſti militũ præfectus. Meminit & Iouis Tragodi Theophilus antiquus Theologus in tertia ad Antolycum oratione his verbis: præterea quoque Atyn caſtratum, & Iouem cognomento Tragodum, qui inuns dans manum ſuam, vt perhibent, nunc à Romanis diuinos honores accipit. Suetonius Iouem Tragedum ab Auguſto dicatum fuiſſe auctor eſt. Pauſanias in Laconicis ſcribit Iouẽ Meſſapeum quoque de ſacrificuli ſui nomine nuncupatum, cumq; templum hoc cognomine, in via quæ ad Taygeton ducit, habuiſſe. Auguſtinus in pulcherrimo illo opere de Ciuitate Dei (libenter enim illius cum honoris titulo meminimus) ſcriptum reliquit, Iouem à Romanis appellatum fuiſſe Victorem, ſeu Inuictũ, quòd omnes vinceret, & à nemine vinceretur: & Opitulum, quòd opem indigẽtibus ferret: & Impulſorem ac Supinalẽ, quòd haberet impellendi ac reſupinandi poteſtatem: & Centumpedam, quòd ſtabilire ac ſuſtinere omnia poſſet: & Tigillũ, quòd tanquã tignum mundũ ſuſtentaret: & Almum, quòd aleret omnia: & Ruminum, quòd rumam, id eſt, mammam animalibus cunctis præberet.

Dictus

Dictus autem est Iupiter Victor, ob præstitam Romanis contra Samnites victoriã. Huic Idibus Aprilibus Papyrius ædẽ posuit, vt est apud Ouidium in. 4. Fasto.

Occupat Apriles idus cognomine Victor
Iuppiter, hac illi sunt data templa die.

Dictus etiam est, auctore Macrobio, Lucetius & Diespiter: quasi lucis dator, ac Diei Pater. Vnde & Di Iouis quoque vocatus est, quasi diem iuuans, quòd homines die ac luce, quasi vita ipsa iuuaret. Ab eadẽ caussa & à Græcis Leucæus est dictus, cuius meminit Pausanias. Eliacis: tradens in Lepræo oppido fuisse olim Leucæi Iouis phanum. Latini quoque Iouem Imperatorem cognominauerunt de quo sic in actione sexta in Verrẽ Cicero. Quid? ex æde Iouis, religiosissimum simulacrum Iouis Imperatoris, quem Græci οὔριον *nominant, pulcerrimè factum, nõne abstulisti? Et Paulo post. Etenim tria ferebantur in orbe terrarum signa Iouis Imperatoris, vno in genere pulcherrimè facta: vnum, illud Macedonicum, quod in Capitolio videmus: alterum, in Ponti ore & angustijs: Tertiũ, quod Syracusis ante Verrem prætorem fuit: quo loco notabit studiosus lector,*

lector, Ioue quoque priscis οὔριμο *dictũ fuisse, quasi tu dicas Imperatorem, vt ipsemet interpretatur Cicero. Erat præterea Romæ Iupiter Feretrius, à ferendis opimis spolijs sic nũcupatus. Nam cùm Romulus Acronem Ceninensium Regem, raptarum iniuriam bello vlcisci volentem in prælio obtruncasset, spoliaq; ducis hostiũ cæsi fabrefacto ad hoc ferculo in Capitolio deposuisset: Iupiter, inquit, Feretri hæc tibi victor Rex regia arma fero, templumq; his regionibus, quas modò animo meo metatus sum, dedico. Sic Liuius in primo ab vrbe condita. Pompeius Festus, Feretrium à pace ferenda dictum putat, quòd ex templo eius sumeretur sceptrum, per quod & lapidem silicem iurabant, cùm aliquod fœdus percutiebatur. Plutarchus verò non à feretro, aut ferendo: sed à feriendo, Iouem Feretrium vult appellatum fuisse. Romulum enim hostem, vt votis petierat, feriendo oppressisse. Vtramque caussam approbat Propertius his versibus.*

—— caussa Feretri,
Omine quòd certo dux ferit ante ducem.
Seu quia victa suis humeris hæc arma ferebãt

Sed

Sed & Stator ab eodem Romulo dictus fuit quòd Romanos fugientes stitisset. Nam cùm Sabini arcem Tarpeiam occupassent, Vrbíque toti iã imminerẽt, & Romani pluribus collatis prælijs ad fugam acti essent: Romulus deploratis rebus vouit templum eo loco se Ioui positurum, si fœdam Romanorum fugam sisteret. quod votum vixdum emissum erat, cùm ecce Romani repentè restitère, Sabinósq; confertissimo agmine adorti fudêre. in cuius rei perpetuum monumentum eo loco Ioui Statori templum ædificauit. Itaque à sistendo Stator, nõ à stando dicetur. Licet enim, vt annotauit Hermolaus Barbar⁹, Iupiter in veteribus monumẽtis modò sedẽs, modo stans inueniatur: nõ ideò tamẽ à stãdo nomen habuit. Seneca tamen, quòd beneficio Iouis stent omnia, Statorem dicit eum appellatum. nõ ex eo, quòd post votum susceptum aciem Romanorum fugientem stare fecerit. Mortuo Romulo Numa religiosus vir, rerum potitus, Ioui Elicio arã posuit, quem ab Eliciendo sic nuncupauit. Nam vt tradit Liuius in primo, cùm ipse instituisset, vt Põtifex nõ cœlestes modò ceremonias, sed iusta quoque funebria, placationémque

Ma-

Manium edoceret: quæque prodigia fulminibus alióue quouis modo missa susciperentur, atque curarentur: neq; hæc commodè absq; diuino auxilio perfici posse cerneret: ad ea è mentibus diuinis elicienda, Ioui Elicio aram in Auentino dicauit. Illud omittendum non est, quòd scribunt quidam, Iouem Eliciũ quasi Illicium dictum. Certè Plutarchus in Numa videtur cognomen hoc à Græco deriuare. Refert enim Numam, cùm Iouem orasset, demonstrare vellet rationem, qua lustrationes faciendæ essent, & ille capitibus faciendam esse dixisset, subiecisse ceparum: Iouemq; dixisse, hominum: & cùm rursus interrogaret, capillis, respondisse Iouem, animatis: & tunc Numam, pisciculis Menedibus subintulisse. quo viri responso Deum delectatum, ἵλεω, id est, propitium abijsse, & Deum locumq; inde appellatum fuisse. Eandem fabulã multis versibus describit Ouidius in 3. Fasto.

Eliciunt cœlo te Iuppiter, vnde minores
Te quoq; nunc celebrãt, Eliciumq; vocãt.

Vide verò quàm miserabiliter olim dæmones mortalib⁹ illuserint, qui si aliter quàm ritu solenni inuocati fuissent, vitam inuocatori-

bus suis adimere solebãt. Nam Tullus Hostilius Romanorum Rex, cùm conaretur eodem quo Numa sacrificio, Iouem deuocare cœlo: quoniam parùm ritè hoc fecisset, fulmine ictus fuit. Hanc scilicet cultoribus suis mercedẽ improbus dæmon reponebat. Persuaserat idẽ dæmon Latinis, vt Ioui Latiali, nõ aliter quàm sanguine humano supplicaretur. Sed omittamus similia cognomina; ad aliáque mitiora descendamus. Iupiter dictus est Pistor, quòd Romanos, quo tempore à Gallis obsessi propter famem de deditione cogitabant, in somnis admonuisset, vt ex omni frumento quod habebant, panes facerent, eósque in hostium castra iacerent. ita enim futurum, vt desperata victoria Galli animis conciderent, atque ipsi superatis hostibus obsidione liberarentur. Ouidius in 6. fasto

Ecce Ceres visa est, iaciunt Cerealia dona,
Iacta super galeas, longaq́ scuta sonant.
Posse fame vinci spes excidit: hoste repulso
Candida Pistori ponitur ara Ioui.

Appellatus est etiam Inuentor, ab inuentis bubus. Nam Hercules cùm se flumine ob Caci cædem lauisset, aram ei loco proximam erexit

Iouis

Iouis Inuentoris, quæ erat Romæ prope portã Tergeminam, immolauitq́; Deo iuuencum, gratum munus inuentionis boum. Erat & Iupiter Viminus, à viminibus sic dictus, à quibus etiam collis Viminalis Romæ cognomẽ accepit. Meminit M. Varro in libris de lingua latina. Prædator quoque, seu, Prædo cognominatus est, quòd ei de præda deberetur aliquid. Virgilius in tertio Æneidos.

——— ipsumq́; vocamus
In prædam, partemq́; Iouem.

Fuit præterea ab Agrippa Augusti genero erectum templum Ioui Vltori, quẽadmodum scribit Plinius lib. 36. cap. 15. quod Pantheon appellauit. Hoc templum dicitur adhuc extare Romæ integrum, illiq́; à rotũditate nouum postea nomen inditum esse. D. Mariæ rotundæ templum appellant. Vocatus est & Parricida, quòd patrem Saturnum regno deturbasset. quod iure factum esse censet Nicephorus Ecclesiasticæ historiæ libro decimoquarto capite 48. quippè cùm tam impurum filium genuerit, vt omnium vitiorum sentina in eo fuerit; æquum fuisse, vt à tali filio talis pater sic acciperetur.

Græci mitiori vocabulo ἀντίπατρον eum vocârunt. Inter omnia aũt quæ fuerunt Romæ templa, nullum fuit sumptuosius, quàm Iouis Capitolini, cui votam quidẽ à Tarquinio Demarathi filio ædem Tarquinius Superbus extruxit, in cuius tantùm fundamenta quadraginta millia librarum argenti insumsisse dicitur. Ferunt & Pompeium Ioui Capitolino sex pocula Murrhina ingentis æstimationis dedicasse: & Suetonius auctor est, Augustum in eius cellam sedecim millia pondo auri, gemmasq́; ac margaritas quingenties sestertiûm vna donatione contulisse. Liuia quoque dicitur crystalli frustum, centum & quinquaginta librarum inter Capitolina donaria consecrasse. Cæterùm nõ erat idem hic Capitolinus Iupiter, cum Ioue Capitolino Tonãte. Siquidẽ Capitolinum Superbus extruxit, vt iã dictum est: Capitolinum aũt Tonantem, D. Augustus, quòd liberatus fuisset periculo, cùm in expeditione Cantabrica per nocturnum iter lecticam eius fulgur perstrinxisset, seruumq́; aurigam exanimâsset, quẽadmodum scribit idẽ Suetonius in Augusto. vbi dicit quoq; Iouem Capitolinũ illi in somnis conquestũ esse, quòd dicato

dicato Tonāte cultores suos sibi adduceret; illumq́ʒ respondisse, Tonantem pro Ianitore tātùm ei apposuisse, ideóqʒ mox tintinnabulis fastigiū ædis redimiuisse. Illud quoque omittendū non est, eundē Suetonium in Caligula obiter etiam meminisse Veneris Capitolinæ, cuius in æde (quæ Romæ fuit) Liuiam Germanici filioli cuiusdā effigiē, quòd esset insigni festiuitate puer, habitu Cupidinis dedicasse refert. Porro Capitolinus Iupiter, non solùm Romæ, sed multis alijs quoque locis cultus est, vt Corinthi: de quo sic Pausanias in Corinthiacis. Supra Theatrum templum est Iouis, quē Capitolinum Romanorū voce, Græca lingua Coryphæum rectè appellaris. Fuit & Apollo Capitolinus dictus, de quo hæc tantū Solinus cap. 29. Insula Apollonitarum, octoginta millibus passuum abest à Bosphoro Thracio citra Istrū sita, ex qua M. Lucullus Apollinē Capitolinum nobis extulit. hæc ille. Iupiter autem Capitolinus erat idem cum Ioue Optimo Maximo, quemadmodum ex eius numismatibus videre licet. Erat & Iupiter Tarpeius, ab arce Tarpeia sic dictus, in qua templū habebat Sed hūc quoqʒ putarim eundem esse cum Ioue Capito-

 lino.

lino. Meminit Oui. in fast. sub verbis Iunonis.
Si thorus in pretio est, dicor matrona Tonãtis,
Iunctaq́ Tarpeio sunt mea templa Ioui.

Cultus fuit quoque Romæ Iuppiter Custos, quem Domitianus Imperator sic appellauit, quòd eum à furore Vitellianorum custodisset ac protexisset. Augustinus in .7. de Ciui. Dei, refert veteres Iouem etiã cognominasse Pecuniam, quòd eius esse putarent omnia. Sed quæ est ista Theologia, inquit, vbi Rex Deorũ eius rei cognomen accepit, quam nemo sapiens vnquam concupiuit? Iuuenalis tamen ita quodam loco scribit

—— Et si funesta pecunia cælo
Nõdũ habitas, nõdũ nummorũ ereximꝰ aras.

Erat & Væiupiter, id est, Paruus Iupiter, vt exponit ipsemet Ouidius his versibus.
Vis ea si verbi est, cur non ego Væiouis ædem,
Ædem non magni suspicer esse Iouis?

Quod nomẽ mysterio non carebat. Nam sicut Paruꝰ Iupiter postquàm adoleuit, cælo regnauit: sic vrbs Roma parua ab initio, post apertũ à Romulo Asylum paulatim ad summũ imperij culmen ascendit. Non desunt tamen, qui velint Væiouem, esse Iouem, vim nocendi ha-

di habentem; vt particula (væ) hic priuet, non augeat. quosdam enim deos, vt prosint; quosdã ne obsint, placari. Agellius lib. 5. cap. 12 dicit Væiouis simulacrum, quod erat in æde inter arcem & Capitolium, sagittas ad nocendum paratas semper habuisse, illique capram ritu humano immolari solitam, ideóque huius animalis figmentum iuxta simulacrum stetisse. Fuit etiam hic Deus à Romanis Sponsor dictus. Huic autem Tarquinius Superbus ædem posuisse dicitur, quam Sp. Posthumius Cos. nonis Iunÿs dedicauit, vt auctor est Marlianus in antiqua sua Roma.

DE APOLLINIS COgnominibus. Caput Quartum.



POLLO, qui & Græcis est ὁ ἀπόλλων, *sic dicitur ab* ἀ *priuatiua particula,* καὶ πόλλοι, *quasi* ἄνευ πολλῶν., *siue* ἀπ' ἄλλων ὅτι μόνος ἐστὶ, καὶ οὐχὶ πολλοὶ, *id est, quòd solus sit, & non multi, quo modo & Latini Solem vocauerunt, pro quo Apollinem poni volunt.*

vel ἀπὸ τοῦ πάλλειν τὰς ἀκτῖνας *hoc est, à iactu radiorum. vel quòd ex multis ignibus constet eius vis*, ὡς ἀπὸ πολλῶν οὐσιῶν πυρὸς, αὐτοῦ συνεστῶτος. *vel quòd ab alijs atque alijs locorum declinationibus ortum faciat, id est*, ὡς ἀπ' ἄλλων τὰς ἀνάτολας ποιουμένος. *vel* ἀπὸ τοῦ ἀναπολεῖν, *id est, quòd intra mũdi circuitum impetu latus ad ortũ referatur. vel à perdendo. Hoc enim significat* ἀπόλλειν. *Nam ipse omnia animantia perimit, cùm pestem intemperie caloris immittit, vel quasi* ἁπλοῦς, *propter diuinitatem. In eo quippè est* ἀληθές τε καὶ ἁπλοῦν. *Sunt & qui dicant Apollinem dictum, quasi* ἀπολύοντα, *id est, liberantem nos morbis: aut quasi* ἀπελλῶντα, *seu*, ἀπελαύνοντα τὰς νόσους; *id est, quasi morbos à nobis abigentẽ, & velut aspellentẽ, vt sit Apollo, quasi aspello vt tũc deriuetur à voce Latina, aut* ἀπὸ τοῦ ἀπολλύναι, *id est, ab abluẽdo. Sol enĩ humorẽ ad se indesinẽter attrahendo, eumq́ꝫ ætheri rursus reddendo videtur semper mundi faciem quasi renouare aut* ἀπὸ τοῦ ἁπλοῦν καὶ λύειν, *id est, quasi ad simplicia ipsam dissoluat substantiam, vel quasi dissoluat tenebras. Quoniã autem Apollinẽ*

&

& Solem pro eodem numine vsurpari credebãt, appellatus est Phœbus, à splẽdore & puritate; quasi φώβιος, ἀπὸ τοῦ φωτὸς, καὶ βίου, *à luce et vita: vel* ἀπὸ τοῦ φοιτᾶν, *quòd visetur. Ex eadem caussa vocatus est* φανὴς, ἀπὸ τοῦ φαίνεσθαι ἀεὶ νέος, *quia sol quotidie se renouans veluti nouus semper apparet: vel* φαναῖος, *seu* ἀναφαῖος. *Hĩc, inquit Phurnutus in honorem Apollinis Anaphæi, qui omnia in lucem ædit, extructum est templum: &* ἀειγενήτης, ἀπὸ τοῦ αὐτὸν ἀεὶ γίγνεσθαι, καὶ ἀεὶ γεννᾶν, *id est, quòd semper oriẽs gignatur, quódque ipse generet vniuersa, producendo augendòque: &* ἐλελεὺς, ἀπὸ τοῦ ἑλίττεσθαι περὶ τὴν γῆν, *quòd sol æterno circa terram meatu voluatur. Est & Eleleus Bacchi cognomentũ, vt in Baccho dicemus libro tertio: &* κάρνειος, ὅτι καιόμενος ὁρᾶται νέος, *id est, cùm quòd omnia ardentia consumantur, Sol tamen suo calore cãdens, semper nouus cõstet: &* σκιάλλιος, ὅτι τὰς κινήσεις ἀλλοίας ποιεῖ, *semper à nõbis ab austro currens. Hic Deus medicinã reperisse dicitur, vt est apud Ouid. his versibus.*

Inuentum medicina meũ, opifexq; per orbẽ
Dicor, & herbarum subiecta potẽtia nobis.

Vnde

Vnde & plurima cognomina inuenit. Appellatus enim est Latinè Sospitalis & Medicus; & græcè ἰήιος & παιὰν ἀπὸ τοῦ ἰᾶσθαι, καὶ παύειν τὰς ἀνίας; *id est, à sanando, & quod animi doloribus mederi crederetur. quanquã & potest ita dictus esse,* ἀπὸ τοῦ παίειν καὶ ἱέναι. *id est, à feriendo & immittendo. Fuit enim hic Deus bonus etiã sagittarius. Macrobius autor est, olim obtinuisse, vt, cùm sanitatem ab eo postularent homines,* ἴη παιὰν *enuntiarẽt: cùm autẽ* ἴε παιὰν *efferrẽt, aduersam in aliquẽ imprecationẽ denotarẽt. Addit & ab aliquibꝰ videri dictũ* ἰήιον, ἀπὸ τοῦ κατὰ κόσμον ἱέσθαι, καὶ εἶναι *id est quod sol impetu ꝑ orbẽ feratur. Phurnutus aũt vult antiquos eũ per antiphrasin Pæana nominasse, cùm expetebãt, vt ipsis propitius esset, & ab eis morbos arceret; vt dictus sit* παιὰν *quasi minimè feriẽs, seu, immittens. Nominatꝰ est & à superioribꝰ caussis* λοίμιος ἀκέσιος & ἀλεξίκακος. *Nã* λοίμος *pestẽ sonat, qua sedata cognomẽ hoc apud Lydios promeruit; &* ἀκέσασθαι *mederi significat; &* ἀλεξίκακος *idem est, quod malorum depulsor, quæ omnia bono congruunt medico. Hoc nomine & Hercules insignitus*

fuit

fuit. Eadem quoq; ratione Apollo dictus est ἐπικούριος id est, auxiliaris: & οὔλιος, id est, sanitatis auctor, ab οὐλάω quod valere significat. Huic & Dianæ Vliæ Theseus, cùm in Cretã ad Minotaurũ duceretur, pro salute & reditu suorum sacrificasse dicitur. Scribit Strabo libro 4. Milesios ac Delios Apollinem οὔλιον coluisse. Apollo enim, inquit, Salutifer est, & ἀρτεμὴς ex eo dicitur, quòd integros faciat, & per η in vltima scribitur, vbi & accentum habet. Pausanias autem refert eum Alexicacum ab Atheniensibus dictum, quòd pestem bello Peloponnesiaco grassantem ab eis depulerit: & à Bassanis Arcadiæ populo, à depulsa quoque ab eis peste Epicurium vocatũ. Idem auctor vult Epicurium Apollinem eundem fuisse cum Parrhasio Apolline, cui singulis annis festum celebrabant, atque in eo aprũ immolabant, quẽ statim cũ tibijs & põpa in Apollinis Parrhasij tẽplum deferebãt. Eidem Deo vaticinandi quoq; artẽ, futurorumq; sciẽtiã tribuerũt. Nã cũ persuasissent sibi Apollinem eundem esse cum Sole, facilè credebant eum & videre & nosse omnia quæ iam essent, quæque fuissent, & quæ futura essent.

Idcir-

Idcircò paßim colebatur, paßimq; responsa dabat, & præcipuè Delphis, quod oppidum in Phocide est. vnde & Delphicus dictus est. Et quia ambigua semper, & incerta obliquaq; erant ipsius responsa, vocatus est à Græcis λοξίας, licet Macrobius aliam huius cognominis rationem adferat, nempè ab obliquo solis ac flexuoso ex occasu in orientem circulo. Quoniã aũt inter omnia Apollinis Oracula, Delphicũ maximè celebrabatur, referã quid de eius origine scribat Diodor⁹ in Philippo. Eo loco, inquit, quo Delphis templũ fuit, specus erat recessu vasto ac tenebroso, in quẽ cùm capra descẽdißet, illic tum fortè pascẽs, repẽtè Dei plena spiritu more insueto exultare cæpit. quod admiratus pastor, cùm & ipse specum intrasset, simili adflatus est spiritu, cæpítque futura prædicere. Hoc cùm multi alij experti fuißent, & similiter succeßisset, res tandem eò progressa est, vt qui futura scire vellet, caput in antrum immitteret. Verum cùm hoc sine multorum periculo atque exitio non fieret, Delphici templum ibi Apollini Diuinatori *construxerunt, virginẽq; statuerunt, quæ in machina cõsistẽs posset absque periculo Dei spiritu afflari,*

respon-

responsáque consulentibus reddere. Sacerdos Pythia vocabatur, quæ tam diu ex virginibus eligi consueuit, donec vna fuit ab Echecrate violata. Erant autem ante templum Apollinis Delphici ista scripta γνῶθι σεαυτὸν, μηδὲν ἄγαν, & ἐγγύα, πάρα δ᾽ ἄτη. id est, Nosce teipsum, Ne quid nimis, & Sponde, noxa præsto est. De quibus omnib' copiosè Erasmus in Chiliadibus. Hoc oraculum superstitiosa hominum vanitate paucis annis eò euectum est, vt & omnium propè gentium, & maximorũ principum dona opulentissima illuc portantiũ ingens quotidiè cerneretur accursus. Sed fidẽ quodam modo excedũt donaria, quæ Crœsum Lydorum regem Delphos misisse Herodotus memoriæ prodidit. Siquidem tradit eum illuc dono misisse mille auri lateres ingentis pretij, ex quib' Apollinis ara facta est tota aurea: leonem ex auro excocto decem talentorum pondo: duas grandi forma pateras, alteram aureã, pondo talentorum octo & dimidij, & præterea minarũ duodecim: alterã argenteã, sexcentarũ amphorarũ capacem: dolia argẽtea quatuor: æquiminaria duo, aureum alterum, & alterũ argenteum. Item fusilia ex argento orbiculata,

nec

nec nõ mulieris simulachrũ tricubitale, vxorisq́; monilia ac zonas omnes. Vnde non abs re Delphici Thensauri, & Aphatoriæ opes pro immensis diuitijs vsurpari cœperunt. Siquidem Apollo ab edendis oraculis, Aphætor quoque, id est, emissor nuncupatus est. Ferunt templum Apollinis Delphici à Brenno natione Prauso Tetosagis auxiliantibus penitus spoliatum fuisse, omnemq́; Thensaurum ab eo Tolosam delatum, & longo post tempore Cepionem Consulem Romanum, quia ab eo violentas manus non abstinuisset, vitam cum toto exercitu calamitosè finijsse. De hoc auro Tolosano nonnulla Agellius in noctibus Atticis, & Erasmus in Chiliadibus. Cur autem Syllæ, qui antè templum quoque spoliauerat, idem nõ euenerit; fortaßis hæc potuit esse caussa, quòd ipse victoria potitus, quæ ex templo sustulerat, reddi curauerit, quemadmodum nonnulli referunt. Porrò machinam illam, in qua consistentem Pythiam oracula reddere cõsuetam fuisse antè diximus, Tripodem à tribus basibus appellat Diodorus. Hinc manauit Adagiũ, Ex tripode dictum, pro re certa indubitataq́;, cuiusmodi erant omnia Apollinis ex

Tripo-

Tripode reddita oracula. quãquàm Athenæus libr. Dipnosoph. 2. prouerbium hoc emanasse autumat, & à Tripode, id est, Bacchi cratere, quòd ebrij vera plærumque loquantur. vnde est & illud: In vino veritas. Demosthenes tamen huius oraculi vanitatem coarguens, dicebat Pythiam φιλιππίζειν; quasi indicare vellet Pythiam à Rege Philippo corruptam, quæ ipsi placerent oracula, reddere cõsuetam. Caterùm Pausanias refert Delphici Apollinis templũ quinquies ædificatũ fuisse. primũ quidẽ ex Lauri ramis: deinde ex cæra apum beneficio: tertiò ex ære: postea quadrato lapide: postremò ab Amphictyonib⁹ ex sacris pecuniarũ thesauris Spintharo quodã Corinthio operis architecto. Qui plura nosse vult, legat decimũ Pausaniæ librũ. Aristophanis interpres in Vespis dicit eam partẽ Tripodis, in qua Pythia sederet, vocari græcè ὅλμον & inde Apollinem dici ἔνολμον. Appellatus autem est Delphinius, à Delphine dracone, quẽ interemit: vel potius quòd Delphino assimilatus, Castalio Cretensi coloniã deducenti dux adstiterit, nauemq; eius Delphos vsq; semper præcesserit: à qua re & Delphis oppido nomen impositum.

Sunt qui Delphinium locum dicant fuiſſe Athenis, deumq́; ab eo loco Delphinium cognominatũ. Erat autem in Delphinio dicaſterium ab Aegæo conſtructum, vbi de Theſeo, dum latrones à ſe iure cæſos contenderet, primum Iudicium fuiſſe dicitur. Plutarchus ſcribit Theſeum Marathoniam ſuem, quæ Tetrapolitanis plurima damna dederat, oſtentandi roboris gratia, per mediam vrbem Athenarum viuam egiſſe, poſteáque Delphinio Apollini immolaſſe. Strabo quodam loco meminit portus Delphinij: & Cætis ex Leandro refert, Delphinem eum appellatum, qui Delphicum oraculũ cuſtodiebat. Plutarchus in eo opuſculo, in quo quærit, Terreſtria an aquatica plus ſapiant, cognomen hoc nõ inde deducit, quòd ipſe Apollo in Delphinem transformatus Caſtalio dux adſtiterit; ſed quòd Delphinẽ emiſerit, quem conſequutus Caſtalius cũ ſuis Cretenſibus Cyrrham ſit delatus. Macrobius verò vult Apollinem nominatũ Delphium, ἐκ τοῦ δηλοῦν ἀφανῆ, quòd Sol quæ obſcura ſunt, claritudine ſua manifeſtet. vel quaſi vnũ & ſolum δέλφον enim priſca lingua ſignificaſſe vnũ, unde & fratrem ἄδελφον vocatũ, quaſi amplius

amplius non vnus sit. Illud verò nequaquàm silentio prætereundum est, cùm Augustus Imperator Delphicum Apollinem consuluisset, quem in Imperio successorem habiturus esset, nihilq; respondisset: & addito maiore sacrificio idem rogasset, illum tandem ad hunc modum respondisse:

Me puer Hrebræus, diuos Deus ipse gubernās,
Cædere sede iubet, tristemq; redire sub Orcū.
Aris ergo dehinc tacitus discedito nostris.

Ex quo responso notabit pius ac Christianus lector, nato IESV Christo, statim omnem dæmonum potestatem, etiam illorum cōfessione, prorsus dissipatam fuisse: Porrò Delphicum Apollinem Pausanias vult eundē esse cum Pythio Apolline, qui ita nuncupatus est à Pythone serpente, quem sagittis interfecisse dicitur. Cùm enim Iuno intellexisset Latonā ex Ioue grauidam esse, atque hoc ægreferēs, ei locis omnibus ad enitendum interdixisset; neque hac difficultate, ad quam miseram redegerat, contenta, Pythonem præterea ei addidisset perpetuum comitem, à quo continēter infestaretur: Apollo matris vicem dolens, eamq; iugi illo metu liberare cupiens, serpen-

tem ſagittis confecit, vnde & ab argenteo arcu ἀργυρότοξος dictus eſt; licet Macrobius ideò ἀργυρότοξον dictũ autumet, quòd ſol per ſummum orbis ambitum enaſcens, figuretur velut arcus quidam alba & argentea ſpecie. Certè Homerus eum ſæpè à iaculandi peritia ἑκηβόλον, & ἑκατιβόλον nuncupat; quanquã & idem Macrobius cognomen hoc inde deriuet, quòd ſol è longiſſimo radios in terram demittat. Phurnutus ἑκατιβόλου cognomen etiam Dianæ tribuit: quod & Luna à longe ad nos vſque lucem ſuam demittat. Sunt qui draconem ab Apolline arcu interemtum, non Pythonem, ſed Delphinem appellatum fuiſſe ſcripſerint, & deum ab eo Delphinium nominatum, vt paulò antè diximus: Pythonem autem, à quo Pythius dictus eſt, violẽtum fuiſſe hominem Draconis cognomento, ab Apolline ſagittis debellatũ, matre Latona inter pugnãdum proclamãte, ἵε παιᾶν, id eſt, immitte feriendo. Ouidius tamen à Pythone ſerpẽte interfecto Pythia certamina inſtituta his verſibus comprobat: lib. 1. Metam.

Néue operis famam poſſet delere vetuſtas,
Inſtituit ſacros celebri certamine ludos,

Pythia

Pythia, perdomita serpentis nomine dictos.

Pythium autem certamen Diomedē primum instituisse auctor est Pausanias in Corinthiacis. Non defuerunt qui Apollinē Pythium appellatum voluerint, ἀπὸ τοῦ πύθεσθαι *quòd Draco in Delo ab Apolline interfectus ibi computruerit. Sunt & qui appellationē deriuent* ἀπὸ τοῦ πυνθάνεσθαι*, quòd ad hūc Deū passim proficiscerētur, de rebus suis sciscitaturi: vel ab interrogandi discendiq́; vsu. Hūc enim colebant, qui Musarum sacris initiabātur: sicut* ἰσμένιον *inuocabant, qui scientiam iam cum loquendi facultate comparauerunt. quāquam nonnulli vocatū dicant* ἰσμήνιον*, ab Ismenio colle Thebano, vbi templū habebat: &* ὅριον*, qui cū alijs iā disserere philosophariq́; possent. Nā Apollo Deus est scientiæ, nouemq́; Musis præest. Vnde &* μουσαγέτης *Pausaniæ dicitur, & Latinis Musicus seu Musarū dux. Sūt tamen qui scribant Hermionenses de terræ finibus contēdentes, & victores factos, Apollinē* ὅριον*, id est, Terminatorē à finibus adiudicatis vocauisse. Plutarchus auctor est, Tripodē illum aureum à veteribus tantopere decantatum, & à septem Græciæ sapiētibus reiectum,*

Iſmenio Apollini dicatũ fuiſſe. Crœſus quoq; in tẽplo Apollinis Iſmenij dicitur ſcutũ & lanceam cum iaculis, ex ſolido auro ſuſpẽdiſſe, quæ adhuc extabant tempore Herodoti. In huius etiam templi foribus ſtabant Mercurius & Minerua ob id πρόναοι, *id eſt, Protẽplares nuncupati. De Pythij appellatione multa Macrobius, omnia Deorum cognomenta ſuo more ad Solem referens. Sed & quia in Delo inſula natus fuit, & ibi diu reſponſa reddidit, Delius quoque nũcupatus eſt. Dicta autẽ eſt Delos,* ἀπὸ τοῦ δήλου: *quòd ibi primũ Latona Dianã & Apollinem gemellos enixa apparuerit, Iunonis iram fugiens. Nam ante vocabatur Ortygia, de Coturnicibus ſumta appellatione. Cæterùm à Latona matre dictus eſt & Latous. Ferunt autem Delon inſulam olim ſupernataſſe, quod & Virgilius indicat his verſib⁹, de Delo & Apolline loquẽs in 3. Æneid.*

Quam prius Arcitenens oras & littora circũ
Errantem, Micone excelſa, Gyaroq; reuinxit,
Immotamq; cœli dedit, & cõtemnere vẽtos.

Neque prius firmam, atq; ſtabilem fuiſſe, quàm in ea ex reſponſo Apollinis, mortuum corpus ſepelire deſierunt. Plutarchus in vita

Pelopida auctor est, ad Tegyras, qui locus est prope Dilon, natum esse Apollinē; eumq́; à loco Tegyræum cognominatum, ibique fuisse oraculum, quod vsque ad bellum Medorum florētissimum exstitit. Refert Plinius libro 4. cap. 12. Antipodas Apollinem Delium præcipuè coluisse, eiq́; per virgines frugum primitias mittere consueuisse. Virg. in 3. Ænei.

——— Non hæc tibi littora suasit
Delius, aut Cretæ iussit considere Apollo.

& in 4. Æneid.

Qualis vbi hybernā Lyciam, Xantiq́; fluenta
Deserit, ac Delon maternam inuisit Apollo.

Macrobius ad solē suo more omnia referens, credit eum appellatum Delium, ἀπὸ τοῦ δῆλα: καὶ φανερὰ πάντα ποιεῖν τῷ φῶτι, quòd illuminando omnia clara demonstret. Colebatur & Cumæ Apollo Cumanus, quem quatuor diebus fleuisse memorant, cùm aduersus regem Aristonicū à Romanis pugnaretur. Branchides quoq́; appellatus est, à Brācho adolescente Thessalo, quem & viuū dilexit, & mortuum templo decorauit, vt ostendit his versibus Terentianus.

Pastorem Branchū, cùm captus amore pudico

Fatidicas sortes docuit depromere pæan:
vel à Brancho filio, cui vaticinandi artem concesserat, cui opinioni videtur adstipulari Statius hoc versu,

——patrióque æqualis honori
Brãchus. *Vel à Branchidis populis apud quos responsa dabat. Strabo lib. 14. Post Possidonium, inquit, Milesium est oraculum Apollini Didymæo sacrum apud Branchidas. Id à Xerxe incensum est, quemadmodum reliqua Græciæ templa, Ephesio excepto. Branchidæ autem, Dei thensauris Persæ taditis, cum eo fugiente abcesserunt, ne proditionis & sacrilegij pœnas penderent. Huius Milesij Apollinis, de quo Strabo, meminit & Lactantius: quem consultum, vtrum Christus Deus esset, an homo, ait hoc modo respondisse græcè,*

θνητὸς ἔην κατὰ σάρκα, σοφὸς τερατώδεσιν ἔργοις
ἀλλ᾽ ὑπὸ χαλδαίων κριτῶν ὅπλοις συλληφθεὶς,
γόμφοις, καὶ σκολόπεσσι πικρὴν ἀνέτλησε τελευτήν.

id est, mortalis erat secundũ carnẽ, sapiẽs portentosis operibus. Sed sub Chaldæis iudicib⁹ armis cõprehensus, clauis & Cruce amarũ tolerauit finẽ. Hoc oraculũ vsq; ad tempora Iuliani Inperatoris exstitisse Nicephorus Ecclesiastica histo-

historiæ lib.10.in fine 28.capitis scriptum reliquit: & vt diuturnius adhuc esset, ipsum Apostatam, quæ in propinquo ædificata erant Martyrum tēpla, funditus euertisse. Credidit enim & verè credidit sceleratus Apostata, sanctos Martyres dæmonibus, ne oracula redderent, impedimento esse. Sed in hoc tamen falsus est vanus augurator, quòd sublatis martyrum corporibus putauit dæmonū oracula perpetuo duratura. Porrò Didymæus dictus est, quòd cum & Dianam eodem partu mater ediderit. Nā δίδυμον *gemellum significat: vel, auctore Macrobio, quòd sol geminam speciem sui numinis præferat, illuminando formandòque Lunam. Colebatur & Apollo Clarius, sic dictus à Claro monte, & oppido iuxta Colophonē, vbi oraculum quoque habuisse memoratur. Plinius lib.2. Colophone, inquit, in Apollinis Clarij specu lacuna est, cuius potu mira redduntur oracula, bibentium breuiori vita. Mira aūt ibi reddi oracula, ideò scribit Plinius, quòd sacerdos auditis tantùm consultātium nominibus, hausta fontis aqua, responsa edebat super rebus, quas quis mente conceperat. Clarij meminit his versibus Ouidius in primo Fastorū.*

Pagina iudicium docti subitura mouetur
Principis, vt Clario missa legenda Deo.
& Virgilius in 2. Æneid.
Qui Tripodas, Clarij lauros, qui sidera sentis.

Hoc addendum supradictis, Claron nominatam ἀπὸ τοῦ κλήρου. Hanc enim sorte adeptus Apollo dicitur. Pausanias in Arcadicis vult & Iouem Clarium propter sortem filiorum Arcadis cognominatum fuisse. Erat & Apollo Grynæus. Virgil. in 4. Æneid.

Sed nunc Italiam magnam Grynæus Apollo,
Italiam Lyciæ iussêre capessere sortes.

Vbi Seruius, iuxta Clazomenas, inquit, vrbem Asiæ, nemus est Grynæum, vbi Apollo colitur. Inde sumit epithetum, licet non inde sumpserit oraculum. Grynæi nemoris in Bucolicis meminit idem Virgilius.

His tibi Grynæi nemoris dicatur origo,
Ne quis sit lucus, quo se plus iactet Apollo.

Ferunt Mopsum Apollinis filium: & ipsum diuinandi peritissimum Grynæo nemori præfuisse. Diradiotes quoq; dictus est, à Dira loco, vbi vaticinabatur. Dabat ibi mulier oraculũ, sed pri⁹ eã à viri cõcubitu abstinere oportebat. Singulis aũt mensibus agnũ noctu mactabat,

cuius

cui⁹ ſanguinẽ cùm epotarat, repẽtè Dei numine afflari credebatur. Habuit & in Ptoo Mõte phanũ, vbi certiſſima quoque reddebat oracula. Vnde & Ptous dictus eſt. quanquã ſunt qui eum à Ptoo Athamantis & Themiſtus filio ſic vocatum putent. Ptoi autem Apollinis reſponſa ſemper pro veridicis vſque ad euerſionem Thebarũ habita ſunt. Pauſanias in Achaicis, prope, inquit, Cyaneas ad Lyciam ſitas, oraculũ eſt Apollinis Thyxei. Præſtat autem hoc ibi aqua, vt in eã ſi quis intueatur, quæcunque velit aſpiciat. Colebatur & nõ procul ab Antiochia Apollo Daphnæ⁹, à Daphnæo luco ſic dictus, cui luco nomen hoc à Daphnæ Dei amaſia inditum erat. In hoc celeberrimũ templum habuit; apud quod creditũ eſt, aquã diuinatricẽ extitiſſe è Caſtalio fonte profluentem, planè ſimilẽ illi, quæ apud Delphos erat. Ibi fama eſt Adriano Imperatori, cùm adhuc priuatus eſſet, reſponſum de rebus, quæ poſtea ei euenerunt, editum fuiſſe. Chryſoſtomus in vita Babylæ Martyris tradit, ſimulatque Cæſaris Galli iuſſu tranſlatum eſſet corpus Babilæ ad lucum Daphnes, Daphnæi Apollinis oraculum repentè obmutuiſſe, quaſi ſancti viri præſen-

præsentiam veritum: & cùm Imperator Iulianus à fratre degenerãs Martyris corpus rursus in vrbẽ reduxisset, sperans fore, vt amotis sanctis reliquijs, iterũ oracula redderet: illicò totum templi tectum cũ integro Idolo conflagrasse; nimirum diuino numine perfidi simul ac impij Imperatoris gẽtilitatem reuocare gestientis immane scelus, meritißimo vindicãte. Macrobius lib. Saturna. 3. ca. 6. refert ex Cloatij Veri Ordinatorum lib. 2. fuisse Deli arã Apollinis γενέτωρος*: apud quam nullum cædebatur animal, sed tantùm solenni prece Deus adorabatur. quod & obseruasse veteres Romanos, cùm die natali munus annale Genio soluerẽt, auctor est Censorinus. Nefas enim ducebant, vt qua die lucem ipsi accepissent, alijs auferrẽt. Diogenes Laertius in vita Pythagoræ scribit eum iußisse, vt ex omnibus aris quas varijs in locis habebat Apollo, solùm ea coleretur, quæ in Delo Apollinis erat Genitoris. quod tantùm frumentum, hordeum, & placentas illi absque vsu ignis ex antiquo instituto imponere solerẽt. Verba Laërtij sunt hæc.*
ἀμέλει καὶ βωμὸν προσκυνῆσαι μόνον τὸν ἐν Δήλῳ τοῦ ἀπόλλωνος τοῦ γενέτωρος, ὅς ἐστιν ὄπισθεν

τοῦ

τοῦ κρατίνου, διὰ τὸ πυρὸς, καὶ κριθὰς, καὶ τὰ πόπανα μόνα τίθεσθαι ἐπ' αὐτοῦ ἄνευ πυρός, ἱερεῖον δὲ μηδὲν, ὥς φυσιν ἀριστοτέλης, ἐν δηλίων πολιτεία.

Meminit obiter & Cato huius aræ in oratione de educandis liberis. Verùm Apollinem hunc non Genitorem, sed Genitiuum his verbis appellat. Nutrix hæc omnia faciebat in verbenis ac rubis sine hostijs, vt Deli ad Apollinis Genitiui aram. Porrò ad hũc, procul dubio, seu Genitorem Apollinem, seu Genitiuũ respexit Virgilius lib. 3. Æneid. Genitora expressè Patrẽ nuncupãs: Æneã siquidẽ in Delo nõ hostias mactantẽ facit; sed protin⁹ de more, Deũ venerãtẽ, solenniq́; precatiõe adorãtẽ.

Da Pater augeriũ atq; animis illabere nostris.

& paulò antè:

Tẽpla Dei saxo venerabar structa vetusto.

Ex quo loco patere etiã ait Macrobius, cùm Taurũ mox immolat Apollini & Neptuno, apud aliã arã hoc fuisse factũ. Cur aũt Apollo vocat⁹ sit Nomi⁹, variæ reddũtur caussæ. Dicũt enĩ aliqui nomẽ hoc ideò tributũ ei, ꝙ Cyclopibus interfectis, amissaq́; diuinitate, regis Admeti armẽta pauerit. νέμω *enĩ pasco significat.*

Idcir-

Alij malunt dictum Nomium à legibus, hoc est, ἀπὸ τῶν νόμων. Ipsum siquidem Arcadibus quondam imperasse, legésque ei dedisse; verùm ob nimiam earum seueritatem regno pulsum, ad Thessaliæ regem Admetum confugisse, ab eoq; eam, quæ circa Amphrysum est, regionem impetrasse, indeq; factum esse, vt eius pecora pauisse creditus sit. De Nomio Apolline procul dubiò intelligendi sunt versus hi Virgilij in Bucolicis.

——— postquam te fata tulerunt,
Ipsa Pales agros, atque ipse reliquit Apollo.

& hi in principio 3. Georgicorum.

Te quoque magna Pales, & te memorande canemus
Pastor ab Amphryso.

Macrob. putat Apollinem cognominatum Nomium, non ab officio pastorali, vt fabulati sunt poetæ; (Tunc enim, inquit, vel ἐπιμήλιος, vel ποίμνιος, vel ἀρνοκόμης, vel ναπαῖος dicitur) sed quia sol pascit omnia, quæ à terra progenita sunt. Meminit Cicero in. 3. De Natur. Deor. huius Apollinis, eúmq; à datis legibus Nomionem vocat. Quemadmodum autẽ à Pythone Pythius cognominat⁹ est, ita à Lupis Lycij cognomen sortitus est. Refert Pausanias,

nias, cùm lupi ex Ida descēdentes Græcorum exercitum vehementer infestarent, & Vlysses suaderet, vt Græci sagittas in lupos torquerent, consuluisse Palamedem, vt Apollini Lycio ac Phyxio potius supplicarēt, quàm beluas impeterent. Deum enim ipsum lupos sagittis suis mox fugaturum ac confossurū. Scribit idem auctor alio loco, Sicyoniorum greges à lupis vsque adeò quodam tempore vexatos, vt nullos fœtus ederent, Deumq́; Apollinē Sicyonijs corticem quendam aridum cōmonstrasse, quē cum carne feris proponerent. quod cùm fecissent, lupos degustatis carnibus repētè perijsse, atq; ob eam caussam Sicyonios Lycio Apollini templum edificasse. Fuit à Danao quoq; Argis constructū phanū Apollini Lycio ex huiusmodi caussa. Nā cùm & ipse et Gelanor de Imperio cōtenderēt, multasq́; ad populū rationes vterq; proposuisset, & sentētiæ dictio in posterum diē dilata esset: orta luce visus est lupus, qui pascētes pro mœnibus boues aggressus, acerrimè cum illis depugnabat. Lupū autem Argiui Danao, & Taurū Gelanori diu ante certamen illud adsimilauerant: quòd quemadmodū lupus maximè horret hominē con-

conspectum, ita Danaus ad eum vsque diem Argiuorum cõmertio abstinuerat. Cùm autẽ lupus taurum occidisset, Danao imperium tradiderunt, qui ratus lupũ sibi ab Apolline propitio immissum, in honorem Apollinis Lycij templum Argis construxit. Physici dicunt Lycium appellatum, quòd quemadmodum lupi pecora rapiunt, & oculorum acie noctis tenebras euincunt: sic ipse quoque Sol radijs suis humorem eripiat, cognomen hoc ἀπὸ τῆς λύκης *quæ primam lucem significat, deriuantes. Nam sole dilucescente albescunt omnia. Græci eum* λυκοκτόνον *vocant, quasi tu dicas Lupicidam. Videtur tamen Virgilius eum appellare Lycium, à Lycia, quæ est, auctore Strabone, propè Troiam.*

Qualis vbi hibernã Lyciam Xanthiq́ fluenta
Deserit, ac Delon maternam inuisit Apollo.

Phurnutus Lycij & Lycoctoni cognomina illi tributa dicit, quòd veteres pascuorũ curã ei attribuerint. Dictus est & Patareus à Patara Lyciæ ciuitate maxima. Horat.

——— Qui Lyciæ tenet
Dumeta, natalemq́ siluam
Delius, & Patareus Apollo.

Patara

Pataræ autem ciuitatis origo talis fuisse dicitur. Cùm enim Salicia virgo donaria Lycio Apollini aliquando in cista ferret; ipsaq; defatigata secũdum mare obdormijsset: insurgensq; ventus cistam in pelagus detrusisset; illáque fortè ad Lycios fluctus delata fuisset; & ex his donis, quæ in ea erant, Apollini illã dicatã, qui inueneràt, facilè conijceret: inde factũ est, vt totus ille tractus Apollini cõsecraretur; & in eo postea in honorem Apollinis ædificaretur oppidum, quod Pataram ideò appellârunt, quoniam Lycij patria voce, cistam pataram nũcupabant. Scribit Seruius Patareũ hũc Apollinẽ sex mensibus hiemalibus, & Delium sex alijs æstiuis responsa reddidisse. Fuit & apud Trœzenios Apollinis ἐπιβατηρίȣ *id est, Ascensoris templum à Diomede ideò constructum, quòd pòst Troiæ expugnationem in reditu eam euasisset tempestatem, qua reliqui Græci plurimum adflictati essent. Pausanias auctor est Apollinem dici Smintheum à muribus. Cùm enim sacerdos quidam Apollinis Crinis nomine sacra Dei neglexisset, atque ob id nihil penitus fructuum eo anno collegisset, omnibus rebus à muribus*

corro-

corrosis: tanto detrimento commotum sacerdotem, consueta deo sacra peregisse, deúmque illicò mures omnes sagittis suis perdidisse, atque ex ea Smintheum vocatum esse. Nam Cretenses mures Sminthas vocare scriptum est apud Strabonem lib. 13. quo loco de Smintheo loquitur, respondisse Pythiam, Teucros à Creta profectos, ibi sedem fixuros, vbi terrigenæ eos aggrederentur, atque id circa Amaxitum euenisse. Maximam enim agrestium muriũ multitudinem repentè noctu exortam, quidquid ex corio factum inuenisset, corrosisse, ibíque Teucros mansisse. Addit idem auctor simulacrum Apollinis Sminthei ita fuisse sculptum, vt murem pedibus premeret. Porrò tanti fuit veteribus Apollo Smintheus, vt ab eo orationes Sminthiacæ celebrarentur, conditis quoque præceptis, quibus aptè concinnari posset. Ouid. in Fastis Sminthei Apollinis meminit.

Consulitur Smintheus, lucóque opertus opaco
Hos non mentito reddidit ore sonos.

Inuenio & nõnullos putare Apollinẽ Smintheum cognominatũ à Sminthe ciuitate prope Troiã, vbi colebatur. quod quodammodo indicare videtur poeta Græcus sic latinè versus:

Sminthey

Smintheu præclara Tenedi dominator Apollo.

Macrobio magis placet Sminthea cognominatum ὅτι ζείων θεῖ, *quia sol feruens currit. Addit Strabo, eo quem modò citaui libro, Rhodios in agro suo templum Apollinis Erythibij, cui cognomē hoc inditum est à rubigine, quam illi erythibiam vocabant, construxisse: & Bœotios Apollini Parnopio sacra fecisse; siue à mure, qui apud Æoles* πάρνοπίων *dicitur; siue à culicibus, qui sic apud Bœotios nominantur. Pausanias Parnopiū vocat, quòd infestas agro Atheniensi locustas, seu bruchos (vt alij vertunt) hoc est,* πάρνοπας *de regione propulsauerit. Similiter appellatus est &* σαυροκτόνος, *id est, Lacerticida. Huius sic meminit Plinius. Fecit, inquit, Praxiteles & Apollinem puberem subrepentem, lacertæ cominus sagitta insidiantem, quem Sauroctônon vocant. Erat & Apollo Spodius, seu vt est in græco Pausania, Spondius ab hostiarum cineribus à Thebanis sic nuncupatus: &* πόλιος, *id est, canus, cui Thebanos priscis temporibus taurum immolasse Pausanias auctor est. Potest fortaßis &* ἀπὸ τοῦ πολίου *vox hæc deriuari, quod etiam interdum pulcrum & albū*

auctore Hesichio significat. Nam ipse fingitur pulcher & amabilis (unde & φιλέσιος dictus est) imberbisq; & longo capillitio, hoc est, ἀκερσοκόμης, ut vocat eum Pindarus: siue Intonsus, ut Horatius:

Intonsum pueri dicite Cynthium

Certè à pulcra Cæsariæ Græcis χρυσόκομος, latinis Auricomus appellatus est. Macrobius mauult à fulgore radiorum, quodq; illi à fronte lucis nunquam auelli queant, sic eum vocatum: sicut & Philesium, quòd lumen solis exorientis amabili oculorum veneratione cõsalutemus: quanquam Boccatius, quo loco de Brancho loquitur, ait ipsum simulatque natus fuit, patris Apollinis malas osculatum, indeq; Deum φιλέσιον nuncupatum. Notißimũ est & illud de Dionysio, qui dicebat non conuenire, ut Æsculapius filius Barbat⁹ esset, cũ pater barba careret. Quanquã aũt ipse pulcrè comatus semper viseretur, tamen veteris instituti fuit, ut qui ex ephœbis excesserãt, Delphico Apollini detonsum capillum dedicarent: à qua re & Deum Curotrophon vocabãt. Illud verò omittendum non est, antiqui moris fuisse, ut Apollo ante Ianuas coleretur, tanquam ἀλεξί

κακος

καιος: indeq́; Thyræum & Proſtaterium, quòd ante ianuas ſtatueretur: & προόψιον, q̄ veluti præintueretur, dictum eſſe. Acron (ſiue quiſquis eſt auctor) ad hunc locum Horatij:

Dauniæ defende decus camœnæ
Leuis Agyleu:

Agyiæ, inquit, Athenienſi lingua vici dicebantur, quo nomine Apollo ideò appellatus eſt, quia ex oraculi reſponſo in vicis publicis Athenarum, ſtatutis altaribus ei ſacrificia inſtituerant. Petrus Bembus in princip. libelli de Culice, contendit verſum Horatij corruptè legi, & pro Agyleu, reponendū Agyeu. quod mihi quoq; probatur. dicitq́; Agyeos etiam ſignificare Dorico ſermone in coni formā deſinentes columnas, quas ante fores ædiū erigebant Apollini ſacras: vnde & deo cognomē Agyeo tributum. Phurnutus Apollinē eundē quoq; cum ſole faciens, putat eum Agyeum dictū, quòd Sol vicos ac vias omnes luce ſua illuſtret ac illuminet. Agyeus aūt Apollo, latinè Cū pitalis dici poteſt. Apud Ægyptios Apollo, qui illis quoque ſol erat, Horus vocabatur; ex quo & horas viginti quatuor, quibus dies noxq́; conficitur, quidam denominatas volunt.

Diodorus tamen ſine adſpiratione ſcribit, dicítque eum medendi ac diuinandi artem à matre Iſide edoctum, multum hominibus tū vaticinijs, tū medicamētis attuliſſe vtilitatis. Habet alicubi Herodotus in certamine Apollinis Triopij tripodes æreos victoribus constitutos, quos tamen è ſacro victores auferre non poterāt, ſed ipſi Deo relinquere cogebātur. Diodorus auctor eſt, Triopā Solis filiū in Cariam nauigaſſe, promontoriumq́ue tenuiſſe, ab eo poſtea Triopum cognominatum. Hinc etiam fortè & Apollo Triopius, niſi potius ſic dictus ſit, quaſi ὀξιόψιος ſeu ὀξιόφθαλμος, ab inſigni prudentia. Meminit idem Diodorus Apollinis Telchinij, eumq́ue ſic apud Lydios appellatū dicit. Strabo lib. 14 refert Rhodon prius Telchinim fuiſſe dictam à Telechinibus hominibus maleficis & faſcinatoribus, qui eam incolebāt: vnde fortaſsis à loco vocatus Telchinius: aut à Telechinibus Telechinius; quòd quēadmodū illi animalia & ſtirpes aqua ſtygia inſperſa faſcinarēt, ſic Apollo quoties irritaretur, immiſſa peste homines & pecora perderet. Nā & Lybiſthinus quoque cognominatus eſt; quòd cum Lybici Siciliam deprædaturi claſſem ad

Pachy-

Pachynum Siciliæ promontorium appulissent, inuocatus à Siculis, pestē immisisset; omnesq́; ad vnum penè repentina morte intercepisset, quemadmodum refert Macrobius. Plutarchus in Theseo memoriæ prodidit, singulis annis mense Iunio, quem Athenienses Boëdromionem vocabant, sacra Boëdromia in memoriā reportatæ à Theseo de Amazonibus victoriæ celebrari consueta. à quibus Apollinē Boëdromionem vocatum crediderim. Huic enim sacrificasse, priusquam præliū consereret, idem Plutarchus est auctor. Certè Pausanias scribit, Thebis Boëdromionem Apollinem Pindari esse dicationē. Apud eundem Pausaniā legitur, Philoctetem in Italiam delatū, cùm erroribus suis finem statuere vellet, construxisse templum Apollinis cognomento Halæi, ibique arcum & sagittas deposuisse. Dictus quoq; est Pythæus, à Pythæo filio, qui patri de suo nomine templum condidit, quod ad sua vsq; tēpora integrum mansisse Pausanias auctor est. Cùm enim Asiam oppidū Argiui solo æquassent, huius Apollinis templum, quod ibi erat, intactum reliquerunt: & Thelmisseus, à Thelmisso alio filio, quem ex Themistone

filia Zabij Hyperboreorum regis sustulerat, qui postmodum patri templum in Caria construxit, eumq́; de suo nomine Thelmisseum vocauit: & Carneus, à Carno vate, quem quidam Ales nomine, vel Hippotas, vt alij volunt, interfecerat. Fuit autem Carnus ex Heraclidis vnus. quare Deus iratus pestem immisit, neque prius placari potuit, quàm ex oraculo Carneum Apollinem colere captum esset. Ædem autem Apollinis Carnei, nulli nisi sacerdotibus ingredi fas erat. In huius porticu visebatur os Cæti marini insigni magnitudine. Pausanias refert et eũ ἀπὸ τῶν κρανέων, id est, à corno arbore, vnde confectus est equus ille Troianus, transposita litera sic quibusdam dictum videri. Cùm enim Deus Græcis succenseret (cornos enim in luco sibi sacro resecuerant) illos sacrificijs eum placasse, Carneúmque quasi Chraneum à Cornis vocasse: & Cillæus, à Cilla loco non procul à Thebis: & Marmarinus, à Marmario loco prope Caristum: & Telphusius, à fonte Bœotia Telphusa, ex quo aquam cùm bibisset senex Tiresias, propter eius ingens frigus repentè expirauit, atque

ibi

ibi sepultus est: & Epidelius, ab Epidelio vico, qui est iuxta Maleam Laconiæ promontorium, vbi templum habebat. Nam post Deli euersionem cùm Babarus quidam Apollinis simulacrum per contumeliam in mare proiecisset, posteáque ad Peloponnesi littora peruenisset, à Laconibus magna veneratione susceptum est, vocatúsque est Apollo Epidelius, quasi ex Delo aduectus. Sed & alia sortitus est cognomina à locis alijs. Nam à Pagasæo, seu Pelasgico sinu, Pagasæus dictus est: & Sagalneus, à Sagalneo Bœotiæ ciuitate, vbi, Stephano auctore, præcipuè colebatur: & Maleates, à Malea promontorio: & Acrites, ab Acrijs Laconum oppido, vbi templum in arce habuit: & Carniades, à Carnio luco: & Amyclæus, ab Amyclis oppido Lacedæmonis, cui de manubijs Itomæ tres ænei tripodes dicati sunt: & Onceates, ab Oncio loco, qui est iuxta Thelpusiam, vbi principatum obtinuit: & Eutresites, ab Eutresi vico, qui est situs in itinere, quo ex Thespijs ad plateas itur: & Myrinus, à Myrina, vbi in magna erat veneratione: & Cirrhæus, à Cirra oppido Phocidis in littore sito

iuxta Parnaßi montem: & Cynthius, à Cyntho monte aspero & sublimi, qui Delo imminet. Virg. Eclog. 6.

Cum canerem reges, & prælia Cynthius aurē
Vellit, & admonuit:

& Thymbræus, à Thymbra cāpo Troiæ propīquo Virg in 3. Geor.

Si modò quem perhibes, pater est Thymbræus

& in tertio Æneid. *(Apollo.*

Da propriā Thymbrae domū, da mœnia fessis.

Vbi Seruius dicit Thymbram locum esse Ilio proximum Thymbra plenū, in eoq́; Achillem à Paride interfectum. Scribit Dioscorides Thymbram herbam esse, quæ nascitur locis asperis & saxosis, quæq́; folia habet similia Thymo, à qua herba potius, quàm à campo plerique volunt Apollinem Thymbræū appellatū. Aiūt autem herbam illam facere ad Venerem proniores. Macrobius cognomen hoc ἀπὸ τῶν ὄμβρων, id est ab imbribus deriuat, quòd sol pluuiam excitet. Vocatus est & Leucadius, à Leucade insula, vbi templum habuit, & petrā quæ credita est amatores ab æstu furoreq́; liberare quod & indicat Ouid. in epistola Saphus his versibus:

——quæ nunc non ignibus æquis
Vreris

Vteris, Ambraciæ terra petenda tibi.
& paulò post.

Hãc legem locus ille tenet, pete protinus altã
Leucada, nec saxo desiliÿsse time.

Illud verò silentio nequaquam prætereũdum est, quòd in sacris Apollinis Leucadij, singulis annis vnus è condemnatis de montis præcipitio deijci solebat, placandæ Deorum iræ caussa, cui omnis generis auium plumæ circũdari solebant, vt his veluti volatu quodam, leuior saltus fieret. Cæterùm in montis radice multi cum nauiculis astabant, cadentem recepturi, atque è finibus suis saluum & incolumẽ emissuri. Horum sacrorum meminit & idem poeta in 5. fast. his versibus.

Donec in hæc venit Tirynthius arua, quotãnis
Tristia Leucadeo sacra peracta Deo.

Dictus est & Actius, ab Actio promontorio, vbi templum ei dicatum erat, circa quod memorabile illud Actiacum prælium commissum fuit, in quo Cæsar Augustus Antonium & Cleopatram nauali pugna superauit. Virgil. in clypeo Æneæ:

Actius hæc cernens arcũ intendebat Apollo.

Strabo lib. 7. auctor est, ludos Actios instat

Olym-

Olympiorum singulis lustris in honorem Actij Apollinis celebrari consuetos, eorumq́ cura Lacedæmonios præfectos. Relatū est antiquorū monumentis, instante Actiorum celebritate veteri instituto bouem muscis immolari consuetum, atque illas bouis sanguine distentas, & hac velut mercede delinitas inde dicto citius euanuisse. Palatinum verò Apollinē ipse Augustus in Palatio, vbi habitabat, post Aruspicum responsa consecrauit, eiq́ ædem costruxit porticibus & bibliotheca latina, græcaq́ valdè celebrem. In hoc templo probati poëtæ scripta sua reponebant. Vnde est illud Horatij:

Scripta Palatinus quæcunque recepit Apollo.

Memoriæ autem proditum est, in eo templo fuisse columnam quandam quinquaginta pedum, dubium pretióne an pulchritudine nobiliorem, cortinasq́ aureas ab Augusto conflatis omnibus alijs imaginibus Apollini Palatino dicatas. Refert Cœlius apud Elæos cultū quandoque Apollinem Opsophagi cognomento, quasi Gulonem dicas, sed vnde sic dictus sit, non aperit: & Phurnutus auctor est, eum λεσχηνόριον, id est, Nugatorem seu Congerronem vocatum, quòd interdiu homines inter se con-

fabu-

fabulentur & colloquantur, noctu autem sileāt & quiescant, ad Solem quoque, sicut & Macrobius omnia huius Dei cognomina referens. Meminit Pausanias & Apollinis Thearij, Carini, Platanistij, Thermij, & Dionysodoti, sed obiter tantum, nullam horum cognominū rationem adferens. Vnde factum est, vt in priore editione nullam quoque eorum mentionē fecerim. Idem quoque in Atticis auctor est, Agreum Apollinem Alcathoi, post interfectum ab eo Cytheronium leonem, dedicationē esse. Cultus fuit & à Pellenēsibus Apollo Theoxenius, ad cuius templum quotannis Theoxenia certamina celebrari consueuerāt, in quibus qui vicerant, argento pro præmio donabantur. Plutarchus in vita Syllæ meminit Apollinis Morij & Thurij, prioris cognominis nullam rationem tradens. Sed Thurium dicit vocatum, vel à Thuria Chæronis matre, vel à vacca, quam Phœnices Thur vocant. Suetonius quoque in Augusto, Tortoris & Sandaliarij; & in Tiberio, Temenitæ Apollinis obiter mentionem facit, nullam etiam horum cognominum caussam adducens. Exstat autem Hymnus Græcus de Apolline,

vbi

vbi plura eius cognomina. seu potius epitheta iuxta seriem elementorum posita reperies, quæ breuitatis studio prætermittere voluimus.

DE MERCVRII COgnominibus.

Caput Quintum.

SCribunt nonnulli Mercurium à mercibus ita fuisse cognominatum, quòd mercatoribus præsideret, atque ab his præcipuè coleretur, quemadmodũ ipsemet apud Plautum est testis, his versibus:

Vt vos in vestris voltis mercimonijs
Emundis, vendundisq́; me lætum lucris
Afficere, atque adiuuare in rebus omnibus.

Hinc à Græcis appellatus est modò κερδῷος, quòd lucro præesset, & damnum minimè amaret: modò ἐμπολαῖος, quasi dicas negotiatorem, vnde cum marsupio pingebatur: modo δόλιος, quòd esset egregius fingendi, mentiendiq́; artifex. Fingere enim ac mentiri propriũ mercatoribus est. De hoc Mercurio ita scribit Pausanias. Pellenem cùm iter facias, templum Mercurij in via videbis, qui Dolius cognominatur, & precantes homines voti com-

compotes haud grauatè facit. Forma est quadrangulari, barbam habet, & pileum capiti impositum. Dictus est & ἀγοραῖος, quòd in medio foro simulacrum eius locari soleret. Est enim ementium & vendentium Deus, & res venales vt plurimum in foro exponi consueuerũt. Fuit aũt Pharis, quæ ciuitas est Achaiæ, foro in medio stãs Mercurij Forẽsis barbatum simulacrum oraculis clarũ. ad quod consulendum quisquis accedebat, multo thure cõbusto, lucernisq́; accẽsis, ac numismate in ipsius simulachri dextra posito, in Dei aurẽ, quicquid percunctari volebat, insusurrabat; occlusisq́; vtraque manu auribus ocyus à foro se proripiebat: cumq́; forũ pertransisset, atq; aures amotis manibus aperuisset, quã primò vocẽ audisset, eam pro dato sibi oraculo firmissimè obseruabat. Ex eadem caussa dictus est & Triphonius, quòd, vt inquit Boccatius, mercatores sese ad mores quarumcunq; nationum accõmodare norint: vt sit, quasi ξετρόνιος, ἀπὸ τοῦ ξέπειν. Cicero Triphonij meminit in 3. de natur Deo. Suidas tradit eũ & κλῶπα vocatum, id est, furem. erat enim & furum Deus, ipse fur maximus. quippe dicitur adhuc in cunis vagiẽs Apollinis

sagittas

sagittas interuertisse. Malunt alij dictum Mercurium, quasi medium currentiū, quòd sermo currat inter homines velut medius: ideoque à Græcis ἑρμῆν nuncupatum. Docuit enim Græcos, vt auctor est Diodorus, verborū interpretationem. vnde etiam dictus est à nostris Interpres. vt apud Virg. in 4.

Nūc etiā interpres diuûm Ioue missus ab ipso.

& paulò pòst.

—— Nunc & Ioue missus ab ipso
Interpres diuûm fert horrida iussa per auras.

quanquam alio loco Diodorus scribat interpretis cognomen assumsisse, non quòd nominū aut orationis inuentor fuerit, sed quòd diligētior esset in referendis mandatis, quàm cæteri. Eodem vergunt quæ scribit Plato in Cratylo. ἑρμῆς, inquit, ad sermonem pertinere videtur, quod ἑρμηνεὺς sit, & nuntius, & in loquendo seductor, & vehemens cōcionator. Compositum est nomē ab ἐρεῖν, καὶ μήσασθαι, id est, ab excogitatione dicendorum. aut hoc nomen sortitus est, inquit Phurnutus, ἀπὸ τοῦ ἔρυμα ἡμῶν εἶναι, quasi sit nobis propugnaculum. Boccatius auctor est, Philonē ex filia Proserpina, quā in balneis conspexerat, sustulisse

Mer-

Mercuriũ; & cùm vellet eum exponere, cõsultum quendam mathematicum respondisse Philoni, puerum futurũ maximũ rerũ diuinarum interpretẽ. vnde seruatũ à patre & diligẽter educatũ, Hermetẽ vocatũ fuisse: cumq́; adoleuisset, in Ægyptum secesisse, atque inibi paucis annis sic in omni disciplinarum genere profecisse, vt propter multarũ rerũ scientiam omnibus esset miraculo, iamq́; non amplius Hermes, sed Trismegistus, id est, ter maximus appellaretur. Sed ex his Boccatij verbis satis constat, Hermem Trismegistum alium fuisse à Mercurio Iouis & Maiæ filio, Deorum nũtio, de quo hic agimus. Quin & Suidas scribit Hermem hunc Trismegistũ Ægyptiũ, sapientem virum, de diuina Triade corã Pharaone multa euangelicæ veritati consona disseruisse. Mercurium aũt Græci ab eloquendi facultate λόγιον *appellârũt, &* διάκτορον, *quod per orationem animi nostri sensus alijs declaremus; quò fit, vt sacræ ei eßent linguæ: Phurnutus vult eum sic vocatum, vel quòd sit* διάτορος, *id est, vocalis, vel* τρανὸς, *id est, disertus. Dictus fuit quoq;* ἐριούνιος, *ab vtilitate. cultoribus enim suis, inquit idem auctor, plurima adfert com-*

cōmoda. & νόμιος, id est, legum antistes. quòd lex & oratio ea imperent, quæ faciēda & vitanda sunt. vel ita dictus est, ἀπὸ τοῦ νέμειν, id est, à pascendo. Nā & quòd ante cæteros Deos, ouium greges maximè custodire & augere crederetur, μηλοσσόος quoque nuncupatus est. Figurabant eum alatum, quòd oratione nihil sit velocius. Vnde & Homerus: ἔπεα πτερόεντα vocauit: item Iuuenili facie, quòd nūquā senescat oratio. Sed & eum Tetragonum faciebāt, διὰ τὸ στερρόν ἦττα τῷ ἀληθοῦς λόγου. ἀκάκητος quoque Phurnuto dicitur, id est, ab omni malo alienus. Sermo quippè nobis datus est, nō vt alicui noceamus, verùm vt dicendo omnibus prosimus. Vocabant & eum ἐνόδιον, καὶ ἡγεμόνιον, quòd in omnibus actionibus duce vtamur oratione: vel potius, quòd ipse in vijs erigeretur, & itinerum dux putaretur. Nā in omnibus triuijs imago Tricipitis Mercurij cùm hac inscriptiōe, Quò ducit hæc via? Quò illa? poni solebat. Hinc auctore Suida, Græcis τρικέφαλος dictus est. Sed & Latini statuas illas, quæ in agris iter viatoribus demonstrāt, Mercurios vocant. Alij τρικέφαλον cognominatum malunt, quòd nunc in cælo, nunc in

terra,

terra, nũc apud inferos versaretur; quodq́; esset, vt inquit Horatius, Superis Deorũ gratus, & imis. Appellatus est & πρόναος, *quòd ante templum Apollinis Ismenij vnà cũ Pallade staret: &* προπυλαῖος *seu* στροφαῖος *quod ianuarum custodiæ præsideret, hoc est,* ὁ περὶ στρόφιγγι τῶν θύρας ὑδρυμένος, *vt inquit Hesichius. Ideò autem pro foribus ædium constituebatur, vt cùm ipse fur esset, alios fures obseruaret, eosq́; post hostia latitantes domo propelleret: quemadmodum ipsemet ostendit apud Aristophanem in Pluto his verbis:* παρὰ τὴν θύραν στροφαῖον ἱδρύσασθέ με. ἐπωνυμία δὲ ἐστιν ἐμοῦ παρὰ τὸ ἐν ταῖς θύραις ἱδρύεσθαι ἐπὶ φυλακῇ τῶν ἄλλων κλεπτῶν. οὗτοι γὰρ ὀπίσω τῶν θυρῶν εἰώθασι, καὶ ἀναδύεσθαι, καὶ ὅλως πανουργεύεσθαι. *Dicitur & Phurnuto,* σῶκος, ὡς ἂν εἴ σωτὴρ τῶν οἴκων, *id est, quasi sit domorum seruator. Alij Strophæum malant dictum, quòd mercimonia, quibus præest, bene fortunet; vel à versutia, siue calliditate. Macrob. lib. 3. Satur. scribit Thuscos appellasse Mercurium Camillum, eoq́; vocabulo significasse preministrum Deorũ. Hoc enim antiquius sonasse, qui ministros ministrasq́; Flaminum,*

minum, Camillos & Camillas appellabant. & Pacuuium vsum esse hac voce in ea significatione, cùm de Medæa loquens,

Cælitum, inquit, Camilla expectata aduenis.

Plutar. in Numa refert, græcos scriptores Mercuriũ ab obsequio Camillũ appellasse, sicut puer qui in tẽplo Iouis ministrabat, Camillus dicebatur. Aiunt aũt Mercuriũ etiã vnà cum Hercule in palæstris cultũ, ꝙ non solũ corporis vires, sed etiã ratio in palæstris necessaria sit: ideoq; ἐναγώνιον nũcupatũ. Fuit & Argiphõtes appellat⁹ post interfectũ ab eo Argũ, quẽ Iuno zelotypa custodiẽdæ Inachi filiæ iã in bouẽ trãsformatæ præfecerat. Phurnutus ab albedine seu claritate deriuat. Veteres enĩ, inquit, τὸ λευκὸν, ἄργενον vocarunt. & propriũ eloquẽtiæ est, oĩa clarißimè ostẽdere: aut, inquit, à celeritate nomẽ hoc nact⁹ est, qua in suis profectionibus vtitur, vt per Antiphrasin ita dictus sit, hoc est, quasi minimè ἀργενὸς, quod tardũ significat. Macrobius aliam adfert caussam, cur Argiphõtes dictus sit, & hãc latißimè proseqtur Bocca. Sed & Harpedophorus nominatus est, ꝙ gladio hamato, quẽ Harpẽ vocãt, in Argi nece vsus fuisse dicatur. Pausanias auctor

est

est apud Tanagræos duo fuisse Mercurij tēpla, alterū προμάχου, q̄ in prælio aduersus Eubœ-os gesto pro eis dimicauerit: alterū κριοφόρου, quòd humeris circum muros arietem gestans pestem sedauerit, atq; in eius rei memoriā diu mansisse consuetudinem, vt circū muros pulcherrimus iuuenis gestaret humeris arietem. Quemadmodum autē apud Tanagræos simulacrum erat, Mercurij tergo portantis arietē, ita eū Ægyptij canino capite effinxerāt, Anubin vocantes. vt apud Virgilium,

——— & latrator Anubis.

Inde vocatus est Cynocephalius. Meminit Pausanias & Mercurij Polygij, seu (vt alij legūt) Posygij; cui dicit Herculē clauā cōsecrasse, iterūq; eā paulò pòst repullulasse, q̄ esset ex oleastro. Habuit & Mercuri⁹ aliqua cognoīa à locis in quib⁹ colebatur. Nā Acacesi⁹ vocat⁹ est, nō q̄ ꝓpulset et arceat mala (sic enī Apollo tūc dicitur) sed vt ait Pausanias, ab Arcadiæ oppido, q̄ Acacesiū dicebatur, ī quo altus educātusq; ab Acaco Lycaonis filio ꝓhibetur: et Nonacrites, à Nonacria Arcadiæ ciuitate et Cyllenius, à Cyllene mōte cūm q̄ sunt in Arcadia altiss. vbi Maiā Mercuriū pepisse volūt. Vir. ī 8.

Vobis Mercurius pater est, quē candida Maiā
Cyllenes gelido conceptum vertice fudit.

In hoc monte templum habuisse dicitur, in quo erat eius simulacrū erectis pudendis. Hæc scilicet fuit veterum relligio, quā impijssimus dæmon in orbē inuexit. Tradūt alij dictū Cyllenium, quòd solitus sit effingi quadratus sine manibus & pedibus, eminēte tātùm capite, reliquo corpore non expresso, sed rudi. Sermo enim, auctore Festo, sine manibus omnia cōficit. Qui autem manibus carent, κύλλοι, id est, trunci nominātur. Vnde & Mercurius Cyllius, id est, Truncus nuncupatus est. Iuuenalis.

Nil nisi Cæcropidas, Trūcoq; simillim⁹ Hermæ

Sunt & qui à genis eū Cylleniū velint appellatū. eas enim græci Cylladas vocāt, quibus præest Mercurius auctor somni. Claudianus.

——— Cyllenius adstitit ales,
Somniferam quatiēs virgā, tectusq; galero.

Cæterū ab aurea virga quā gestat, dictus est Græcis χρυσόῤῥαπις: & ab animarū deducatiōe, ψυχόπομπος. de hac Mercurij virga sic Virgil. in 4. Æneid.

Tū virgā capit, hac animas ille euocat Orco
Pallentes, alias sub tristia tartara mittit.

Dat

Dat somnos, adimitq́ , & lumina morte resi-
Illa fret⁹ agit vẽtos, & turbida tranat (gnat,
Nubila. —— & *Horatius*
Tu pias lætis animas reponis
Sedibus, virgaq́ leuem coerces
Aurea turbam.
Sunt qui Chrysorrhapin ab alapis deriuent, vt Phurnutus, quòd oportuna correctio omnia pretiosissima superet, si modò huic aures accõmodauerimus. Porrò hæc Mercurij virga alio nomine Caduceum dicebatur, quo etiam vtebatur ad bella componenda. Vnde & Caduceator, seu, Caducifer quoq; dictus est. Ouid.
His se sustulerat paribus Caducifer alis.

DE COGNOMINIBVS Martis.

Caput Sextum.

M*Arcus Varro dicit Martem ideo vocatum, quòd maribus in bello præsit: aut quòd à Sabinis ibi acceptus est Mamers. & ita significare videtur, Mariẽ per syncopen dictum, quasi Mamertem, quo nomine à Sabinis appellabatur. Festus vult Martem, Oscorum lingua Mamertẽ vocatum.*

Dictus est Marspiter, id est; Mars pater, sicut Iupiter, Diespiter. Hic sæpius appellatur à poëtis Mauors, ut apud Virgilium:

——— an tibi Mauors
Ventosa in lingua, pedibusque fugacibus istis
Semper erit?

Et dictus est Mauors, quòd mares voret; vel potius, ut vult Cicero, quod magna vortat. Creditus est frater Bellonæ, ideo vocatus est ἐνυάλιος, *ab* ἐνυῶ, *id est, Bellona belli dea. Et quia potissimum delectatur sanguine humano, à græcis nominatus est* αἱμοχαρὴς *à latinis, Sanguineus. Virgilius.*

Sanguineus Mauors clypeo increpat.

Pausanias dicit eum θηρείταν *quoque nũcupatum fuisse, nõ* ἀπὸ τῆς θηρους, *quã Martis fuisse nutricem memorant; sed quod oporteat virum bellacem in prælio constitutũ, non amplius mitem esse ac clementem. Ex eadẽ caussa Phurnutus auctor est eum à Græcis cognominatũ* μιαιφόνον, καὶ βροτολοιγὸν, καὶ ἀλαλάξιον, καὶ μνώπιον, *id est, hominũ occisorẽ, interfectorẽ, iubilãtẽ & furiosum. Siquidẽ vox maxima, clamorq́ue incõditus in prælio edi solet. Vnde quidam asinos ei immolabãt, propter*

tur-

turbulentiã & rugitus magnitudinẽ. Eadẽ de caussa Marmessus dictus est, quæ vox antiquis bellacẽ sonabat: et δορυσθενὴς ꝙ hasta præualeret: et ἀδάμαστος, quòd nec vinci nec dãnari posset: & θούριος à citato impetu. A crudelitate quoq; seu sæuitia, Mars Tyrãnus latinis dicebatur, quæ vox ꝓuerbialiter etiã vsurpabatur, quoties significari volebãt Vi aliquid fieri, nõ cõsilio. Sed & quia vari⁹ erat plerũq; et incertus bellorũ euentus, Latini Martẽ Cõmunẽ appellauerũt, de quo vide Chiliad. Eras. quẽadmodum & de Marte Tyrãno. fortassis ab hac incertitudine victoriæ Cæcus quoq; dictus est; quanquam Seruius ad illũ Virgilij locũ:

——— Et Cæco Marte resistunt,

maluit sic appellatũ, quòd nocte bellum gerebatur. Liuius autẽ scribit in primo Numam Marti Gradiuo Salios legisse. Martis Gradiui meminit etiam Virgilius in tertio Æneidos.

Gradiuumq; patrem, Geticis qui præsidet aruis.

Dicũt ei cognomẽ hoc tributũ à Thracibus, quòd in bello vltrò citroq; gradiatur; licet sint qui Gradiuum à gramine à quo ortus sit, deriuent. Ferunt enim Iunonem iratum, quòd Iupiter sine mulieris concubitu Mineruam

genuiſſet; & ipſam abſque viri commiſtione tactu cuiuſdam herbæ, quam ei Flora Dea cõmonſtrauerat, Martem peperiſſe: indeq́ à Græcis ἀπάτωρα dictum, q. natum ſine patre. quã fabulam tangit Ouid. in 5. Fasto. his verſibus:

Si pater eſt factus neglecto coniugis vſu
Iuppiter, & ſolus nomen vtrumq; tenet.
Cur ego deſperem fieri ſine coniuge mater,
Et parere intacto, dum modo caſta viro?

Quin & Flora apud eundẽ poetam ſic loquitur

Mars quoque ſi neſcis, per noſtras æditus artes,
Iuppiter hoc vt adhuc neſciat, vſque precor.

Alij Gradiuum ἀπὸ τοῦ κραδαίνειν deriuant, quod vibrare ſignificat. Pauſanias refert in monte Creſio templum eſſe Martis ἀφνειοῦ. Cùm enim Mars Æropen Cephei filiam cumpreſſiſſet & illa dolore partus interiſſet, infantem matri defunctæ inhæſiſſe, & ex eius mãmis multũ ac copioſum lac exſuxiſſe, omniaq́; Martis nutu facta eſſe, & ideo horum cauſſa eum Aphnæum, id eſt, Diuitem nuncupatum Apud eundem auctorem legitur Martem γυναικόθοιναν appellatum fuiſſe, quòd Tegeatis quædam mulier vidua vnà cum cæteris mulieribus Lacedæmonios inſidijs ſuperarit, eorumq́;

rũq́; ducem Charilaum captiuũ Tegeã duxerit: Augustus verò Imperator ædem Marti Vltori in foro propè Veneris templum dicauit. Ouidius in quinto Fasto.

Vltor ad ipse suos cælo descendat honores,
Templaq́; in Augusto conspicienda foro.
& alibi.
Stat Venus Vltori iuncta viro antè fores.

Eam autem ædem vouit Augustus bello Philippensi, quod aduersus Brutum & Cassiũ suscepit, ad vlciscendam mortẽ Cæsaris auunculi, quemadmodum ostendit idem poëta his versibus:

Vouerat hoc iuuenis, tunc pia sustulit arma.
& paulò post:
Si mihi bellandi pater est, Vestæq́; sacerdos
Autor, & vlcisci nomen vtrumque paro:
Mars, ades, & satia scelerato sanguine ferrum,
Stetq́; fauor caussa pro meliore tuus.
Templa feres, & me victore vocaberis Vltor.

Sed & Bisultor postea ab eodem Augusto, reportata de Parthis victoria, dictus est. Idem poëta.

Ritè Deo templumq́; datum, nomenq́; Bisultor
Emeritus voti debita soluit honor.

Colu-

Coluerunt & Romani, vt auctor est Seruius, Martem Quirinum intra vrbem, quasi custodem & tranquillum. Certè constat ex antiquorum numismatibus, eum quoque Pacatorem appellatum fuisse. Illud etiam obiter addẽdum, hunc Deum à Romanis Victorem quoque fuisse nuncupatum, quemadmodum quoque liquet ex veterum numismatibus. Dicitur à Græcis hic Deus ὁ ἄρης, *ob masculam virilitatem. Nam* τὸ ἄῤῥεν, *masculum sonat: vel potius, vt vult Suidas, à verbo* ῥῶ, *quod in futuro habet* ῥήσω, ῥῆς. *Nam adiecta primitiua particula* α *fit* ἄρης, *quasi sine loquela,* ἐν τῷ πολέμῳ γὰρ οὐ λόγων, ἀλλὰ ἔργων χρεία. *Res enim non verbis, sed manibus in bello conficitur. Phurnutus verò tradit ita græcè dictum,* ἀπὸ τοῦ αἱρεῖν, καὶ ἀναιρεῖν, *id est, à tollendo & occidendo: aut* ἀπὸ τῆς ἄρας, *id est, à damno quod dare solet: aut* ἀπὸ τοῦ ἄρσαι, *id est à concinnando. vis enim cogit, vt omnia decenter fiant, & vt in aptam consonantiam redigantur.*

DE

DE VVLCANI COgnominibus.

Caput Septimum.

VVlcanus & ipse vnus ex Maiorum Gentiũ Dijs, latinus dictus est, auctore Marco Varrone, ab ignis maiore vi ac violentia, quodq; ignis propter splendorem fulgeat: vel vt scribit Seruius ad octauũ Æneidos, appellatur Vulcanus, quasi Volicanus. quòd flamma, pro qua Vulcanus sumitur, per aërẽ cana, id est, candida volitet. Ignis enim è nubibus nascitur. Vnde & Homerus dicit eũ de aëre præcipitatũ in terras, quòd omne fulmen de aëre cadat. Hinc quidam, licet alioqui malus auctor, dicebat Vulcanum appellatum, quasi volantem candorem. Sunt & qui dictum velint Vulcanum, quasi βουλίκαπνον, id est, voluntatis calorem; propter eum, quem tantopere cum Minerua expetiuit cõcubitum. Cæterùm ipse Cicero in 3. de natur. Deor. quo loco Etymologiarum inuestigatores irridet, ingenuè fateri videtur, nescire se, vnde dictus sit Vulcanus. Ita enim scribit: In enodandis nominibus, quod miserum est,

labora-

laboratus. Quã periculosa consuetudo? In multis enim nominibus hærebitis. Quid Vaioui facies? Quid Vulcano? Vocatus est Mulciber vel quòd omnia mulceat ac domet: vel quòd ara molliat. Nullum enim metalli genus est, quod igne non mollescat: vel quasi mulcens imbrem. Nam cùm nubes altiora petunt, calore in pluuias resoluuntur. Sunt qui à mutilãdo dictum velint, quòd ob claudítatẽ sit mutilatus. Ouidius Mulciberi hoc versu meminit:

Mulciberis capti Marsq́; Venusq́; dolis.

Poëtæ fabulantur hunc ignis esse Deum, & ideò ab eis sæpè dicitur Ignipotens Virgil. in 8.

Haud secus Ignipotens, nec tẽpore segnior illo
Mollibus è stratis, opera ad fabrilia surgit.

Appellatur ab eodem Poëta paulò post Lemnius, à Lemno insula, in quam à matre Iunone, simulatq; natus fuit, præcipitatus fingitur.

Hæc pater Æolijs properat dum Lemnius oris.

Caussa autẽ deiectionis huius fuit, summa infantis deformitas. Vnde quidam de Vulcano intelligunt versus istos apud Virgilium:

——— Cui non risere parentes,
Nec Deus hunc mensa, Dea nec dignata cubili est.

ob

Ob quam iniuriam à matre acceptam, dicitur ei postea sellam auream dono misisse, occulta vincula habētem; deamq́ cùm in ea sederet, illis alligatam fuisse, iucundumq́ sui spectaculum omnibus exhibuiße. Phurnutus autem hanc deiectionem aliò refert. nempe quòd homines primā ignis scintillā ab ardenti collegerint fulmine. Nondum enim ex se ignis vsum inuenire potuisse. Ab hac præcipitatione dicitur Homero Iliad. ύ. κυλλοποδίων, *id est, claudicans, seu, mancus. Diodorus Siculus scribit Sesostrim Regem, cùm flammam saluus euasißet, tum cæteris dijs, tum Vulcano Liberatori vota persoluiße. Cælius quoque auctor est, Vulcanum à Memphiticis lingua patria dici Phtham, & à Græcis Aphtham. Iamblichus de Opifice rerum loquens: Quatenus, inquit, sine mendacio peragit omnia, & artificiose simul cum veritate, Phtha nuncupatur. Græci verò hunc Vulcanum nominãt, artificiosum dumtaxat considerantes. Hunc Deum Græci* ἥφαισον *vocãt, quasi* φάεος ἵσορα, *id est, luminis præsidem: vel quasi luminosum. hoc enim significat* φαισός: *vel auctore Phurnuto,* ἀπὸ τοῦ ἥφθαι, *id est, ab accēdēdo.*

Cæte-

Cæterùm quoniam huius Dei pauca sunt cognomina, referam obiter quod de tēplo ipsius apud Ætnam Siciliæ promontorium ædificato memoriæ proditum est. Tradunt enim ibi canes fuisse, qui delubrum ac lucum custodirēt, eius naturæ, vt si adeuntes puro intaminatoq́ pectore Deum salutatum venissent, illis cauda adblandirentur, & veluti aduentum gratularentur, tanquam talibus deus oblectaretur. Sin verò aliquis impuro corde accederet, procul aduentanti allatrarent, nec templū introire paterentur, veluti si talis ingressu suo sacra prophanaturus esset. cuiusmodi canes templorum nostrorum custodes esse pauci, credo, optarint hodiè.

¶ DE NEPTVNI COGNOminibus.

Caput Octauum.

Cicero in secundo de Natura Deorum scribit Neptunum dictum esse à nando, primis literis paululum immutatis. quam Etymologiam tamen in. 3. lib. ridere videtur, dum dicit: si admittamus huiusmodi

modi Etymologias , nullum futurum nomen, quod non poßimus addita aut extricata vna litera explicare, vnde dictum sit. Alij malūt, vt M. Varro. appellatum esse Neptunum à nubendo, id est, tegendo, quòd mare & terras obnubat & cooperiat, quemadmodum nubes solent. Hic quòd primus classem inuenerit, & nauigandi vsum introduxerit, Deus Marinus creditus est. Virgil.

——Regiq́; hæc dicite vestro,
Non illi imperium Pelagi, sæuumq́; tridentem
Sed mihi sorte datum. *Et Ouidius:*
Mulcet aquas rector pelagi. *Vnde & Pelagæus dictus est, hoc nomine in Achaia potißimū cultus, auctore Pausania. Idē à Græcis nominat' est* ποσειδῶν, παρὰ τὸ πόλον σείειν. *i. à soli concußione, vt satis indicat Herodotus lib. 7. vel, vt scribit Fulgent. quasi* ποιῶν εἶδος *quòd mare formet imagines in se spectantium: vt apud Virgil. in Eclogis.*
Nec sum adeo informis, nuper me in littore vidi,
Cū placidū vētis staret mare, nō ego Daphnim
Iudice te metuam, si nunquam fallit imago.

vel quòd potū præbeat omnibus. πόσις *enim potus est, &* δίδωμι, *do. vel, vt Plato vult in*

Cra-

Cratylo, ἀ ποσὶ, id est, pedibus, & δέσμῳ, id est, vinculis. Eunte enim ipsum maris natura detinuit, neq; vlterius progredi siuit, sed quasi vincula pedibus eius imposuit. Seruius super illud in 2. Æneidos.

Neptunus muros, magnoq; emota tridenti
Fundamenta quatit. ——Neptuno, inquit, fundamenta consecrata sunt, cuius arbitrio mouetur. Vnde ἐννοσίχθων vocatur, id est, terram quatiens ac mouens. Eadem ratione dicitur γαιήοχος, καὶ ἐννοσίγαιος, καὶ σεισίχθων id est, vt nonnulli ad verbum transferunt, Terriquassor & Tellurimotor. Ennosigæi meminit Iuuenalis hoc versu:

Ipsum cõpedibus qui vinxerat Ennosigæum.

Sed ex contraria vi dici eum quoque interdum ἀσφαλίωνα Macrobius auctor est, id est, non concussorem, sed stabilitorẽ. Quippè Dij, inquit, sæpè eadem in re duplici ac contraria, vt videtur, potestate censentur. Vnde Apollinem modò Sospitalem, modò Pestiferũ inuocamus. Plutar. in Theseo refert octauũ quemq; diem singulorum mensium Neptuno quondam fuisse consecratum. Octonariũ enim numerum, cùm geminum quadratum in se conti-

contineat stabilitatem & immobilitatē Dei potentiæ significare. vnde, inquit, nos Neptunum ἄσφαλον, καὶ γαιήοχον, *id est, firmum & minus errantem, ac terram continentem appellare solemus. Sunt qui non* ἄσφαλον, *sed* ἀσφάλιον *eo loco apud Plutarchum legāt. Ex eadem caussa nuncupatus est et* θεμελιοῦχος, *id est, fundamēta tenens. Dictus est & à quibusdam* μυκητὰς, *id est, Mugitor, quòd iratum mare quodammodo mugire videatur: &* κυανοχαίτης, *quasi dicas cæruleum iubar tenentem: &* εὐρὺς στέρνος *id est, lati pectoris, propter maris vastitatem. Vnde est & illud:*

——— *Pelagi latissima terga.*

& εὐρυμέδων, *id est, latè imperitans: &* εὐρυβόας *id est, latè reboans. Hunc Deum non solùm mari sed etiam aquis & fontibus præfuisse tradūt. Hinc illū quoq;* νυμφαγέτην *&* κρηνοῦχον, *id est, Nympharum & fontium præsidem nuncupatum. Herodotus Neptuni* σωτῆρος *obiter meminit. quem à Græcis ita tunc vocatum dicit, cùm Xerxis classe naufragio deleta seruati, atque ab omni metu liberati essent. Sed cognomē illud omnibus dijs commune fuit, quibus proprium esse seruare*

veteres Ethnici crediderunt. Nos verò appellationē istam soli CHRISTO, non ulli alij tribuēdam esse & antè diximus, & hic quoque, ad magis conuincendam gētilium vanitatem, libenter repetimus. Hic quoque apud Trœzenios βασιλεύς, id est, Rex cognominatus est. Cùm enim inter eum & Mineruā de hac regione controuersia nata fuisset, Iupiter statuit, vt ea cōmunis vtriq; esset, ex qua caussa illi Neptunū Regē, & Mineruā Poliadem, id est, Vrbanam vocauerūt. Dictus est & Saturnius à Virgil. in 5.

Tū Saturnius hæc domitor maris edidit alti.

Sed habet cognomen hoc cōmune cum Ioue fratre, & Iunone sorore. vt apud eundem poëtam in fi. 4. Æneid.

——— Iam iam nec Maxima Iuno,
Nec Saturni⁹ hæc oculis pater aspicit æquis.

& eodem libro.

Talibus adgreditur Venerem Saturnia dictis.

Vocatus est præterea ἵππιος, & Latinè Equestris, quòd primus equos domuerit, artemq; equitandi docuerit; vnde & Græcis δωματήτης dicitur, & ἱπποκούριος: vel quòd equū antea ignotum tridentis ictu primus homini-

bus

bus ædiderit. Lucanus.

Primus ab æquora percussus cuspide saxis,
Thessalicus sonipes bellis feralibus omen
Exilit. Et Virgil. in primo Georg.
—— Tuq; ô, cui prima furentem
Fudit equum magno tellus percussa tridenti,
Neptune.

In huius rei memoriã nono quoq; anno 4. equos in mare proÿciebãt. Sũt qui Equestrem eũ nominatũ existimẽt, vel quòd Pegasus, aut, vt alÿ volũt, Arion equus velocissimus ex eo nat⁹ sit: vel quòd equuleus loco eius patri Saturno suppositus fuerit, quẽ ille pro Neptuno deuorauit. Pausanias auctor est, cùm Neptun⁹ Cererẽ deperiret, & illa se in equã vertisset, Deũ etiã in equũ transformatũ, atq; ita equã inÿsse: hincq; Neptunũ apud Arcades primũ Hippiũ cognominatũ. Idẽ scribit Hippÿ Neptuni tẽplũ fuisse ad Halesiũ mõtẽ Mãtineæ: hocq; ĩgredi q volebat, ĩprimis cauere debuisse, ne filũ, quod tẽpli ædificatores aditui opposuerãt, vllo modo frangeret. alioqui futurũ, vt vndarũ inspersione mox occæcaretur, pauloq; pòst decederet. Quod quia nõnullis euenerat, Hadrianũ Imperatorẽ iuxta vetus illud, tẽplũ

nouum exstruxisse, custodesq́; adhibuisse, qui non sinerent in vetus quemquam inspicere. Phurnutus vult eum dictum Hippiũ, à marinæ nauigationis celeritate, quæ etiam equorum cursus multis vincit passibus. Hic autem Neptunus Hippius alio nomine Consus vocatur. Eundem enim & Equestrẽ & Cõsum esse volunt. Cuius opinionis est Titus Liuius. sed in diuersa sententia vidẽtur esse M. Varro & Diony. Halycarnasseus. Porro nomen hoc ei tributum est, quòd Consilijs præesse credatur. Et quia consilia, tecta & occulta esse decet: idcircò templum habebat subterraneũ, ad quod dabatur tantum accessus, cùm Equestria certamina celebrabantur. Nam reliquo anni tẽpore claudebatur. Illud vulgatissimum est, Romulum simulatis in honorem Equestris Neptuni Consualibus ludis, dato suis signo virgines Sabinas rapuisse. Ouidius in tertio Fastorum:

Festa para Conso, Consus tibi cætera dicet.

Aiunt eum Genethlium quoq;, id est, Natalitium fuisse appellatum. Sed & Iupiter hoc etiam cognomine dictus est, quòd ei incumbat cura gignendorum liberorum. Vocarunt etiam eum πετραῖον quòd olim super saxo cõsopitus

ſopitus vrinam profuderit genitalem, ex qua natus fuit equus primus, quē dixère σκύφιον: vel, quòd diſſectis Theſſaliæ montibus per ipſos Peneum deduxerit, cùm antea per vrbem flueret, & agros pleroſque vaſtaret. Erat præterea à Trœzenijs extra muros templū Neptuno Phytalmio erectum, quòd eorum precibus motus, non amplius aquam ſalſam frugibus inſpergeret. Heſichius idem cognomen Ioui tribuit. & certè Iupiter à poëtis ſubinde appellatur, hominum Sator, atque Deorum. Nam φυτεύω, idem eſt quod ſero, ſeu, planto. Phurnutus huius nominis hanc dicit eſſe rationē, quòd omnia quæ terra profundit, humoris efficacia fiant. Neptunum enim eundem facit cum humore. Pauſanias ſcribit, cùm Inachus ceteríque iudices Argiuum agrum Iunoni, non Neptuno adiudicaſſent, ipſum iratum regionem aquis obduxiſſe. & cùm Iuno ab eo impetraſſet, vt vnda recederet, Argiuos vnde fluctus retroceſſiſſet, Neptuno προσκλυσίῳ tēplum conſtruxiſſe. προσκλύζω enim inundo ſignificat. Eodem auctore dictus eſt Onchestius ab Oncheſto ciuitate, iuxta quam Sphynx erat: & Geneſius, à Geneſio exiguo vico, vbi tem-

plum habuit. Appellatur & Propertio Tænarius. Tænarus enim oppidi, portus, & promontorij nomen est, vbi Neptunus præcipua veneratione habebatur. Dixerunt veteres, per Tænarum, descensum esse ad inferos. hinc Virgilius.

Tenarias etiam fauces, alta hostia Ditis.

Visebantur Tænari simulachra duo ex ære celeberrima, alterum Delphini vehentis, alterum Arionis insidentis. Siquidem Tænaron clarissimus ille citharædicæ artis magister Arion, Delphini dorso insidens, per Siculos, Ioniosq́; fluctus incolumis peruenisse dicitur. Cognominatus est & Heliconius, non ab Helicone fonte decantatissimo; sed ab Helice ciuitate, vbi positum ei templum erat. Strabo lib. 8. refert totam Helicen vnà cum Heliconij Neptuni templo diluuij instar miserè à fluctibus absorptam, eamq́; cladem ob iram Neptuni accidisse. Nam cùm Iones ex Helice profugi, legatis sæpius missis, ab Helicensibus, neque Neptuni statuam, neque sacra impetrare potuissent: iratum Deum, proxima hieme vrbem ipsam toto cum loco aquarum inundatione obruisse. Pausanias autem

tem dicit Neptunum inde tantopere commotum fuisse, quòd ipsi supplices Iones ex templo eius abstractos crudeliter trucidassent. Illud verò prætereundum non est, quemadmodum à certaminibus Iupiter Olympicus, & Apollo Pythius; ita & Neptunum ab Isthmijs ludis, qui singulis lustris in Isthmo Corynthiaco celebrari magna pompa consueuerant, Isthmium cognominatum fuisse. Cæterùm quemadmodum constans est opinio, Olympica ab Hercule in honorem Iouis primitus instituta; ita Plutarchus auctor est Theseum, æmulatione Herculis, Isthmia Neptuno primum instituisse. Quæ enim ibidem in Melicertæ honorem constituta sunt, noctu agitari consueta, initiandi magis, quàm spectaculi, aut celebritatis alicuius speciem præ se ferentia. Pausanias obiter meminit Neptuni Laæte, id est, Popularis; & Epoptæ, id est, Speculatoris, quem ad vrbis Elissontis mœnia templum habuisse scribit.

Finis Libri Primi.

IVLIANI

AVRELII HAVRECHI, LESSIGNIENSIS, V. CL.

DE Iunonis Cognominibus,

Liber Secundus.

Caput Primum.



VPERIORE libro enumerata ſunt eorum Deorũ cognomina, qui inter Deos Maiorũ Gentium mares habentur. Supereſt nũc ſimiliter referamus, quæ cognomina indita ſint & Maiorum Gẽtium deabus. Et quoniam Iunoni inter illas principatum tribuerunt, ab ea inchoabimus. Eſt autem Iuno, à iuuando dicta, quẽadmodum & Iupiter. vel à ianua, vt voluit quidã quaſi Iano; quòd maritis & naſcituris ianuam pandat. Ipſa enim nubentibus & parientibus præeſſe dicitur. vnde & varia ei cognomina tributa ſunt. Appellata eſt enim Interduca, & Domiduca, quia veteri ritu ſpõſas ad ſpõſos

ſos ducere prima nocte cõſueuerãt: & Vnxia, quia mos erat virginibus, priuſquam ſponſorũ limina tranſgrederentur, poſtes eorum laneis vittis ornare, & oleo perfricare: & Cinxia, à ponendo cingulo, quod ante primum concubitum maritis ſoluere moris erat. itẽ & Socigena, quòd mulierem viro ſociet: & Iugalis, à coniunctione maris & fœminæ, vt apud Virgil. hoc verſu:

Ne cui me vinclo vellem ſociare iugali.

Et hoc:

Iunoni, ante alios, cui vincla iugalia curæ.

vbi Seruius Iunonem dicit nominatam Iugalem, à Iugo quod imponebatur matrimonio coniungendis. Simili de cauſſa dicta eſt à Græcis Gamelia, & à Latinis Pronuba. Virgilius in 4. Æneid.

——— prima & Tellus, & Pronuba Iuno
Dant ſignum.

Eſt & γαμήλιος Iouis epitheton, quòd ei quoque nuptiæ curæ ſint. Certè apud Quinctilianum Coniugales dij, pro Ioue & Iunone accipiuntur. & Plutarchus commemorat quinque deos nuptijs præſidentes: Iouem Adultum, Iunonem Adultam, Venerem, Leporem,

&

& Dianam. Erat & sextus vel præcipuus Hymenæus, vt apud Catullũ in Epithalamio: Huc ades ô Hymenæe, Hymen ades, ô Hymenæe. Quemadmodũ autem ex eo, quòd nuptijs præposita erat, varijs nominibus appellabatur: sic ex eo, quòd parturientium Dea credita est, multa quoq; habuit cognomina. Dicta enim est Matrona, quòd his præsit mulieribus, quæ aptæ sunt conceptui, idoneæq; vt matres fiant: & Populonia, quòd ex maris & fœminæ commistione noui subinde populi creentur: & Fluonia, ꝙ mulieres eam sanguinis fluorem in conceptu retinere putarent. vel quòd eam menstrua fœminarum singulis mẽsibus sistere crederent. Certè Augustinus Deam, quæ menstruis fluoribus præest, Menam vocat: & Februa, à februis, id est, purgationibus, quòd fœminas post partum, secundis exeuntibus purgare putaretur: & Opigena, quòd opem laborantibus in partu præbere crederetur: Et Egeria, quòd partum in lucem egerere putaretur: & Lucina, à luce, quam infantibus, simulatq; nati sunt, impartiri dicebatur. vel à luco qui fuit ad radices montis Esquilij, vbi templum habuit antiquissimum. Ouidius

in

in 2. Fasto.

Gratia Lucinæ, dedit hæc tibi nomina lucus:
Aut quia principium tu Dea lucis habes.

Pausanias in Achaicis tradit apud Ægienses vetustum fuisse Lucinæ templum, eiúsque simulacrum altera manu facem tenuisse: fortaßis, inquit, quòd mulierum in partu dolores igni sunt similes. Non negat tamen eodem loco poße videri facem gestare, quod lucem infantibus dat. Hanc Deam in partus discrimine ac difficultate inuocari solitã auctor est idem Ouidius in 3. Fastorum.

Dicite, tu nobis lucem Lucina dedisti.
Dicite, tu voto parturientis ades.

Et Plautus in Aulularia,

Perij mea nutrix, obsecro te, vterus dolet:
Iuno Lucina, tuam fidem.

& Terentius in Andria atq; in Adelphis,

Iuno Lucina fer opem, serua me obsecro.

Non poßum autem hoc loco nõ ridere stultam Romanarum mulierũ consuetudinẽ, quæ sterilitatem à se vt arcerent, & vt ad concipiendũ idoneæ redderentur, sese nudas à Lupercalibus in templo Iunonis loris cædi patiebãtur. Illud quoq; notandũ Græcos etiã Dianã vocaſ-

vocasse Lucinam, eiq; parturientium curã tribuisse, quòd ipsa ante nata matri Latonæ Apollinem enitenti obstetricis officium præstiterit. Virgilius hoc versu:

Casta faue Lucina, tuus iam regnat Apollo,

procul dubio de Diana, non Iunone intellexit. Certè Cicero cùm scribit templum Dianæ Ephesiæ iccircò arsisse, quòd ipsa in partu Olympiadis adesse voluisset, satis indicat & ipsam Dianam parientibus præfuisse. Item & Horatius hoc carmine:

Montium custos, nemorumq; virgo,
Quæ laborantes vtero puellas
Ter vocata audis.

Caussam reddũt Physici, quia Diana eadem est cum Luna, quæ plurimum confert ad pariendum, vt cuius propriũ munus sit rimas corporum distẽdere, & meatibus viam dare, quod est accelerando partui admodum salutare. Inuocabãt & matronæ in simili necessitate Ilithyiam, quam ex Hyperboreis ad Latonam parturientẽ in Delon venisse Pausanias auctor est. Porrò quæ Græcis fuit Ilithyia, Latini vbique Lucinam vertũt. Ab Ilithyia autem, Deæ omnes, sub quarum potestate sunt parturientes, dicuntur Ilithyiæ,

Memi-

Meminit Horatius in carmine seculari:

Ritè maturos aperire partus
Lenis Ilithyia, tuere matres,
Siue tu Lucina probas vocari, Seu Genitalis.

Et Ouidius in 7. Metamorph.

——— faueant tibi numina saltem
Corripiantq́; moras, tunc cum matura vocabis
Prepositam timidis parientibus Ilithyiam.

Phurnutus, εἰλείθυια, inquit, dicta est, quasi indesinenter εἰλουμένη, id est, voluens se circa terram, vultq́; eam ἐλθοῦσαν quoque nominatam, quòd inuocata à parturientibus ad eas veniat. Non solùm autem Iuno à parientibus, sed etiam ab omnibus ægrotantibus implorabatur. Vnde etiam Sospita appellata est, vt quæ seruandi potestatem habere credita sit. Ferunt Aristotelem Nicanore genero ægrotante duas statuas vouisse, si incolumitatem reciperet: alteram Ioui Seruatori, alteram Iunoni Sospitæ. Cornelius Cos. aduersus Insubres dimicaturus vouit in principio pugnæ Iunoni Sospitæ templum, si Romani sospites domum redirent, & hostes in fugam verterent. Aiunt autem deam hanc cùm adhuc virgo esset ac puella, παρθένον; & posteaquam Ioui nupsisset,

ſet, τέλειαν, *id eſt, adultam: & cum diſſideret à Ioue, ac rurſus Stymphalon, vbi à Temeno educata fuerat, repetere vellet,* χήραν, *id eſt, Viduam appellatam fuiſſe. Pauſanias in Bœoticis refert Callimachum feciſſe Iunonem ſedentem, eo in templo quod ipſa habuit apud Plataeenſes multò ſpectatu digniſſimum, quam inquit, ob huiuſmodi euētum, Nymphenomenem, id eſt, Deſponſatam nominarunt. Dicunt iratam Ioui Iunonem in Eubœam ſeceſſiſſe; Iouemq́; cùm placare eam non poſſet, ex conſilio Cithæronis regis ſimulacrum è ligno fabricaſſe, ac illud veſtimētis tectum plauſtro impoſuiſſe, illicoq́; in vulgus ſparſiſſe, eam eſſe Plataeam Aſopi filiam, quæ ſibi eſſet deſponſa. quod vbi ad Iunonis aures peruaſiſſet, ſtatim eam accurriſſe, & ad plauſtrum cum acceſſiſſet, veſtimentaq́; conſcidiſſet, ligneam eſſe effigiem comperiſſe, quam nouam nuptam eſſe putarat: itaq́; hoc commento lætam repentè in gratiam cum Ioue rediiſſe: atque in eius rei memoriam feſtos dies celebratos fuiſſe, Dædala nuncupatos, quòd priſci lignea ſigna, Dædala vocarēt. Hæc dea quoniā inter cæteras principem locū obtinere putabatur, vocata eſt,*

κατ'

κατ᾽ ἐξοχὴν, *Iuno Magna. Virgil.*

Iunonis Magnæ primũ prece numen adora.

& Ouidius in Fastis:

Monte sub Exquilio multis incæduus annis,
Iunonis Magnæ nomine lucus erat.

Hinc est, quòd etiam Virgilius eam appellat Reginam Deorum.

Ast ego, quæ diuûm incedo Regina. Et Ouid.
Cur igitur Regina vocor, Princepsq́; Dearum?

Fuit aũt Iunonis Reginæ templum à Cn. Flãminio votum, cùm ille bellum aduersus Ligures gereret, quod postea in Capitolio erectum est. M. Varro dicit eam Reginam vocari, quòd huius sint omnia terrestria. Virgilius vocat eam alibi Bonam.

Adsit lætitiæ Bacchus dator, & Bona Iuno.

Dicta est præterea Curitis, vel à curru quẽ habuit, vt apud Virgiliũ: — hic illius arma, Hic currus fuit. vel potius ab hasta, quæ Curis lingua Sabinorũ dicebatur, vt apud Ouidiũ
Siue quod hasta Curis priscis est dicta Sabinis

Nam omnes propè Iunonis statuæ hastis innixæ cernebantur: vel quòd omen esset fortium virorum gignendorum. Hasta enim viri strenui donabantur, & captiui sub ea vendeban-

bantur: vel quòd violenta fuissent prima connubia: vel vt discerent vxores virilem ornatum & minimè effœminatum amare. Diximus autem in Neptuno Iunonem quoq; poëtis Saturniam frequenter vocari: vt apud Virgilium in 1. Æneid.

Id metuens, veterisq; memor Saturnia belli.
item in 4.
Talibus aggreditur Venerem Saturnia. & cæt.
Belli ferratos rupit Saturnia postes. (& in 7.
denique & in 9.
Irim de cælo misit Saturnia Iuno
Audacem ad Turnum.

Vocata quoque est Moneta, à monendo. Cùm enim ingens terræmotus accidisset, ferũt in arce ex æde Iunonis vocem auditam, quæ monebat, vt sue plena procuratio fieret: & ab ea monitione deã, Monetam nuncupatã. quod & à Cicerone in primo de Diuinatione his verbis traditur. Atq; etiam scriptum à multis est, cùm terræmotus factus esset; vt sue plena procuratio fieret, vocẽ ab ede Iunonis ex arce exstitisse. quocirca Iunonẽ illam appellatã Monetam. Et in secundo. Quod de Moneta dici potest, à qua, quid vnquam præterquam de sue plena

plena moniti ſumus? Alij auctores ſunt Camillum aduerſus Gallos Senones decertaturũ, cùm Deorum quoque auxilium implorandũ cenſeret, ædem Iunoni Monetæ vouiſſe, finitoq́; bello Senatum ad eam pro magnitudine populi Romani conſtruendam Duumuiros conſtituiſſe, locumq́; in arce deſtinatum, vbi quondam fuerat domus Manij Capitolini, cui ſententiæ adſtipulatur Ouidius in Faſt.

Arce quoque in ſumma Iunoni tẽpla Monetæ,
Ex voto memorãt facta, Camille, tuo.
Antè dom⁹ Manli fuerat, qui Gallica quondã
A Capitolino reppulit arma Ioue.

Valerius Max. & Lactantius Firmianus alterius Iunonis Monetæ meminerunt, quæ prius à loco, vbi in præcipua veneratione habebatur, Iuno Veienſis dicebatur. Verba Valerij ſunt hæc. Captis à Furio Camillo Veijs, milites iuſſu Imperatoris ſimulacrũ Iunonis Monetæ, quod ibi præcipua religione cultum erat, in vrbẽ tralaturi, ſede ſua mouere conabãtur, quorũ ab vno per iocum interrogata Dea, an Romam migrare vellet, velle reſpondit. Liuius ſcribit Iunonem hanc, quæ ex Veijs Romã tranſlata eſt, in Auentino collocatũ, ibiq́;

L tem-

templũ ei poſtea ab eodẽ qui vouerat Camillo dedicatũ. ex quo ſatis apparet iſtã nõ fuiſſe eãdẽ cum ſuperiore. Suidas verò ſcribit Iunonẽ nuncupatam iccircò Monetã, ꝙ Romanos in bello, quod aduerſus Pyrrhum & Tarentinos geſſerunt, ad rei nummariæ ſummam neceſſitatem redactos, monuerit, vt ſimul cum armis iuſtitiam colerent. Refert Pauſanias in Laconicis, non procul à ſacello Pleuronis eſſe collem quendam, & in eo Iunonis Argiuæ templum, ab Euridice Lacedæmonis filia, vxore Acriſij conditum: & Iunonis Hypercheriæ fanum ex oraculo tunc eſſe conſtructum, cum crebris inundationibus Eurotas maiorẽ regionis partem oppleuiſſet, & ſimulacrum antiquũ Veneris Iunoniæ appellatum eſſe, ac matres tantum, quarum filiæ nupſiſſent, rem ſacram deæ facere conſueuiſſe. Idem in Achaicis auctor eſt, Iunonem dictam Meſatem, id eſt, Intermediã, quòd in continente ſita eſſet medio loco, ſi quis ex Erythræorum portu in Chiũ inſulã nauigare velit: & in Corinthiacis ædẽ fuiſſe Iunonis Prodomiæ, id eſt, Veſtibularis à Phalce Temeni filio conditam, quòd Iunonẽ itineris ſibi ad Sycionem ducem futuram cõfideret:

sideret: Item à Lacedæmonijs αἰγοφάγον id est Capriuoram appellatã, Herculemq́; eam erexisse, quòd Iuno ipsi aduersus Hippocoontẽ pugnanti non sit aduersata, quam in alijs certaminibus sibi parum propitiã fuisse credebat. Cognomen autem hoc ideò Hercules indidit, quòd deficiẽtibus alijs hostijs capras ei primus mactauerit. Fuit & Zeuxidia ab Api rege nuncupata, postquàm ille in Aegypto boues iunxisset, ac ibi seminãdi rationẽ commonstrasset. Trophæa quoq; dicta est, id est, Victrix: et Boopis, ab oculorũ magnitudine. Fortassis etiam à capris, Caprotina dicta est. M Varro: Nonæ, inquit, Caprotinæ, quòd eo die in Latio Iunoni Capotrinæ mulieres sacrificãt, & sub Caprifico faciũt, & è Caprifico adhibẽt virgã. Macrobi⁹ refert Nonis Iulijs Iunoni Craprotinæ liberas pariter ac ancillas sacrificasse sub arbore caprifico, in memoriã ancillarũ, quæ eo die Reip. Romanæ dignitatẽ cõseruarũt. Nã cũ post Vrbẽ à Gallis captã, finitimi à Senatu postulassẽt, vt si reliquias vrbis suæ remanere vellent, matres familias et virgines suas eis dederẽt: a Senat⁹ anxi⁹ esset: Ancillæ sumto matronarũ & virginũ habitu, ad hostes ꝓfectæ sunt. quib⁹ somno

vinoq́; sepultis, ex arbore caprifico signum Romanis dederunt. qui cùm repentina incursione superassent, omnes ancillas libertate donârunt, dotemq́; eis ex publico præbuerunt; & ornatum, quo tunc erant usæ, gestare concesserunt, diemq́; ipsum nonas Caprotinas nuncupauerunt, à Caprifico ex qua signum victoriæ acceperant, sacrificiumq́; annua solẽnitate celebrandum instituerunt. Huic lac quod ex caprifico manat, propter facti memoriam, adhiberi moris erat. Coluerunt & Plataenses Iunonem Cythæroniã, ut in cuius tutela ipsorum ager esset, ut Plutarchus refert in Aristide. Meminit & Pausanias Iunonis Buneæ, cui cognomen hoc à Bunone Mercurij F. tributum tradit: Item Iunonis Antheæ, id est, Floridæ, de qua nihil aliud memorabile prodidit, nisi quòd scribit ante ipsius tẽplum extitisse earum mulierum tumulum, quæ ex insulis in Ægeo positis Dionysio auxiliantes in prælio aduersus Argiuos & Perseũ desideratæ sunt: Item Iunonis Equestris, seu, Hippie, quã in Olympia aram habuisse in equorũ curriculo tradit: Item Iunonis Acreæ, ab Acrea Iunonis nutrice; vel ab Acrea mõte, qui à Deæ

nutris

nutrice sic dictus est. De huius Iunonis templo multa Pausanias in 2. Diodorus Siculus scribit apud Ialysios & Camiraeos Iunonem Telchiniam appellatam, à Telchinibus, qui Dijs statuas primi fecerunt, multaq́ alia egregia repererũt. & quia aliena opera facilè imitabantur, inuidi & fascinatores existimabãtur. Seruius ad illum Virgil. locum,

Circæumq́ iugum, queîs Iupiter Anxur aruis
Præsidet, & viridi gaudẽs Feronia lympha.

ait in Campania cultã Iunonẽ, quæ Feronia dicebatur. Plutarchus in Hannibale refert, Feroniæ tẽplum, quod erat ea tẽpestate opulẽtissimũ, à Pœnis direptũ. & Strabo auctor est eos, qui Feroniæ numine afflabantur, nudis pedibus ardẽtes prunas sine vlla læsione perambulasse. Sed tamẽ videtur Feroniã aliã facere à Iunone, sicut & Plutarchus. Erat & Iuno Gabina, à Gabinis religiosissimè culta, vt apud Virgil. in 7. Æneid.

——— quiq́ arua Gabinæ
Iunonis gelidumq́ anienẽ, et roscida riuis, etc.

Ferunt autem in Samo insula Iunonem & natam & educatam, & ab ea Samiam nuncupatam Virgil. de Carthagine loquẽs:

Quam Iuno fertur terris magis omnib⁹ vnā
Posthabita coluisse Samo.

De tēplo Iunonis Samiæ multa scribūt veteres. Referūt enī illud inter cætera orbis miracula, propter eius et antiquitatē & sumptuositatem, in quo præter alia multa, visebatur & Deæ simulacrū in habitu puellæ nubētis figuratū. Nā ibi Iouis & Iunonis nuptiæ celebratæ dicūtur. Culta fuit et in Elide Iuno cognōie Ammonia, & Parammon. Græci enī & Aphri diis litabant. Hāc cum Olympia Iunone eandē fuisse ex Pausania cōstat, de cui⁹ tēplo vide apud eundem in Eliacis, vbi & mulierum in Olympico stadio currentium certamē quod Iunonium dicebatur, describit. Seruius ad hunc locum Virgil. in 3.

——— *Attollit se diua Lacinia contrà.*

Templum, inquit, Iunonis Laciniæ à cōditore, vt quibusdam placuit, dicitur: vel, secundū alios, à Latrone Lacinio, quē illic Hercules īteremit, tēplumq́; Iunoni cōdidit: vel, à Lacinio Italiæ ꝓmōtorio inter Ioniū et Adriaticū mare, in quo fuit tēplū Iunonis Laciniæ. Lactāti⁹ li. 2. ca. 8. scribit Fuluiū Cēsorē, cùm ex æde Iunonis Laciniæ marmoreas tegulas abstulisset,

ſet,quib⁹ tēplū Fortunæ Equeſtris,quod Romæ cōſtruendū curauerat, tegeret;et mēte captū, & amiſsis duobus filijs in Illyricō militātibus ſummo animi mœrore cōſumptū eſſe. Plinius refert in ara Iunonis Laciniæ ſub diuo ſita cinerē immobilē fuiſſe perflātibus vndiq; vētis. Idē auctor eſt, Zeuxin tabulā, q̄ fecerat conſpectis oībus Agrigentinorū virginib⁹ nudis, in tēplo Iunonis Laciniæ poſuiſſe. Liui⁹ tradit Hannibalē apud Laciniæ Iunonis tēplū æſtatē vnā trāſegiſſe, ibiq; magnificū rerū à ſe geſtarū titulū Punicis Græciſq; literis inſculptū dedicaſſe. Dicitur aūt græcè Iuno ἥρα, quæ vox latinè ſonat idē, quod terra vel aër Nā Iunonē Phyſici pro terra ſeu aëre vſurpāt; vnde & Aëria à nōnullis etiam dicta eſt: vel auctore Platone, quaſi ἐρατὴ, id eſt, amabilis, propter amorem quo Iupiter in Iunonē adfectus eſt. Huic deæ Calēdæ oēs ſacræ fuerūt. Oui. I. Faſt.

Vendicat Auſonias Iunonis cura Kalendas.

indeq; à Laurentibus eam Kalendarem cognominatam fuiſſe auctor eſt Macrobius. Coluerunt & Romani Iunonem Matutam, quæ in foro olitorio templum habuit. Sunt qui à maturandis fructibus ſic dicatam velint.

DE DIANAE COgnominibus.

Caput Secundum.

DIana dicta est, ut ait Cicero lib. 2. de Natur. Deo, quòd nocte quasi diem efficiat: vel, ut quidam alius voluit, quasi Duana, quòd Luna duobus temporibus noctu & interdiu appareat: vel à διός, quasi Ioviana: vel quasi Deviana, quòd venatores in silvis deviare soleant. Huic olim parturientiũ curam tributam fuisse capite proximo diximus, unde petendum, quod huic loco quadrare potest. Fortassis ab hac cura Græcis παιδότροφος & Patroa, id est, Nutrix, & Paterna dicta est. Certè Pausanias in Messenicis auctor est, apud Coroneam Bœotiæ oppidum Dianæ cognomento Nutricis templum: & in Corinthiacis, post Arati sacellum, aram Dianæ Paternæ fuisse. Cicero autem lib. de Natur. Deo. 3. quo loco plures commemorat Dianas, tradit Upin tertiæ Dianæ patrem fuisse, deámque à Græcis Paterno nomine Upin vocatam. Macrobius appellat eam Opin per o literam, dicitq́; Virgilium cognomen hoc non Dianæ, cùm tamen

men ipsi proprium sit, sed vni ex comitibus eius tribuisse,

Velocem interea superis in sedibus Opin,
Vnam ex virginibus socijs, sacraq́ caterua
Compellabat. & *paulò post,*
At Triuiæ custos iamdudũ in montibus Opis.

Nata dicitur Diana ex Ioue & Latona, vnde & Latonia appellata est Virgilius.

—— Et has tristis Latonia voces Ore dabat.

Varro tamen facit eam filiã vni⁹ ex Titanibus. vnde & Titanin dicit eã nominatã. Vocata est græcè ἄρτεμις, διὰ τὸ ἀρτεμὲς, καὶ τὸ κόσμιον, καὶ διὰ τὴν παρθενίας ἐπιθυμίαν, *id est, propter firmitatẽ & modestiam, & virginitatis constãs propositum: vel* ὡς τὸν ἄροτον μισησάσης τὸν ἀνδρὸς καὶ γυναικὶ, *quod viri & fœminæ coitum oderit, tametsi fabulentur eam concubuisse cũ Endymione, & Pane:*

Latmius Endymion non est tibi Luna pudori.

& Virgilius:

Munere sic niueo lanæ, sic credere dignum est,
Pan Deus Arcadiæ captam te Luna fefellit,
In nemora alta vocãs, nec tu aspernata vocã- (tẽ es.

vel ἀπὸ τοῦ ἀρτεμέας ποιεῖν *.i. quòd sanos & integros efficiat: vel, vt vult Macrobius,*

bius, quasi ἀκερστόμης quod luna aërem secet. Nã Dianã pro Luna capi vsitatissimũ est. Vnde & grecè φωσφόρος τρίμορφος, καὶ τριοδέτις καὶ τρικέφαλος & Latinè Lucifera, Triuia & Tergemina, & Triformis nuncupata est. Solet enim Luna in triplicem speciem sese cõuertere. Malunt alij cognomina hæc ei tributa esse, quòd ipsa tres facies, seu, tres vias, hoc est, tria numina in diuersis locis habeat, nẽpè in Cælo, vbi Luna dicitur: apud Inferos, vbi Hecate, siue, ꝓserpina nominatur: & in terra, seu, siluis, vbi Diana vocatur. Horatius:

Montium custos, nemorumq́; virgo.
Quæ laborantes vtero puellas
Ter vocata audis adimisq́; letho,
Diua Triformis   *& Virgilius in 4.*
Tergeminãq́; Hecatẽ, tria virginis ora Dianæ.

& Prudentius contra Symmachum, deorum cultum ridens,

Deniq; cũ Luna est, sublustri splẽdet amictu:
Cũ succincta iacit calamos, Latonia virgo est:
Cùm subnixa sedet solio, Plutonia coniux
Imperitat Furijs, & dictat iura Megæræ.

Nam statim sequitur:

Si verum quæris, Triuiæ sub nomine, dæmon
Tarta-

Tartareus colitur. & quidã incertus auctor
Terret, lustrat, agit: Proserpina, Luna, Diana;
Ima superna, feras: sceptro, fulgore, sagitta.

Hæc, quòd antè portas in Triuijs poneretur, dicta est & Græcis Propylæa, quæ hoc nomine in Attica culta fuit. Quin & M. Varro dicit Dianam appellatam Triuiam, eò quòd ferè in triuijs poneretur in oppidis Græcis: vel quòd diceretur esse, quæ in Cælo tribus vijs moueretur, in altitudinem, latitudinem, & longitudinem. Ouidius in primo Fastorum.

Ora vides Hecates in tres vergentia partes,
Seruet vt in ternas compita secta vias.

Consueuerant autem in triuijs & quadriuijs in honorem Dianæ flebiliter vociferari, quòd Ceres amissam filiam istoc modo requisijsset. Phurnutus autem nulla alia ratione Triuiam vocari dicit, quàm quòd ipsa, sicut Iupiter & Apollo, vijs præsideat. Porrò Hecate sic denominata est, vel quòd centum victimis placãda esset, vel quòd centum annos errare faceret insepultos: vt apud Virgilium:

Centũ annos errãt, volitantq; hæc littora circũ.

Vel propter Lunæ multiplicem virtutem:

vel propter coronas, quæ multifariè circà Lunam conspiciuntur: vel ab ἑκάτῳ, id est, Sole, vt sit Hecate, sicut à Cyntho Cynthia: vel quasi ἕκαθεν, id est, à longè ad nos vsque lucem suam demittens. Qua ratione & Apollinem Hecatæum dictum esse auctor est Phurnutus. Τρικέφαλος autẽ dicta est, quia, vt inquit Orpheus, tria habuit capita, dextrum equinum, sinistrum caninum, & medium suis agrestis. Cæterum quæ latinis Proserpina, Græcis Persephone dicitur, de qua nonnihil in tertio libro dicemus. Festus verò auctor est Dianam non triuijs tantum, sed etiam vijs præfuisse. Hinc appellata est ὁδολία, καὶ νυχία, καὶ νυκτιπόλος, καὶ σελασφόρος, καὶ χθόνια, Lunari enĩ lumine viæ reddũtur viatoribus expeditiores: vnde Latinis Noctiluca nominata est. Dicta est quoque Dictynna propter radiorum splẽdorẽ, hoc est, διὰ τὸ βάλλειν δεῦρο τὰς ἀκτίνας. Δίκειν γὰρ τὸ βάλλειν ἐστι. Sed sic scriberetur in ι. *per* ι. *nõ* υ. *quare melius alij, ἀπὸ τῶν δικτύων .i. à retibus deriuant. Ferunt enim, cũ Minoem regẽ vim ei inferre volentẽ fugeret, in mare se præcipitem dedisse, atque non ita multò pòst cadauer eius inuentũ, ac retibus*

bus piſcatorum exceptus fuiſſe: cumq́; in Creta mirum in modum ſæuiret peſtis, & Pythia reſpondiſſet ædem Dianæ conſtruendam, Minoëm ei templum erexiſſe, Dictynnamq́; à retibus appellaſſe, ac inſtituiſſe, vt eam Cretenſes futuris annis ſumma veneratione proſequerētur. Certè Solinus auctor eſt eam à Cretenſibus gentili cognomine Britomartim nūcupatā fuiſſe, idq́; nomen ſonaſſe eis Virgineā dulcē, atque huius ædem non licuiſſe cuiquam niſi nudo corpore intrare. Malūt alij Britonē Nymphā fuiſſe Cretenſem Dianæ ſociam, quæ in retia capiendis piſcibus demiſſa ſe præcipitauit, quòd à Marte ſollicitaretur. Diodorus tamē ſcribit Dictynnā aliam fuiſſe à Diana. Ipſam enim in Creta natam ex Ioue & Charmide, cōſuetudineq́; Dianæ vſam. atq́; hoc cauſam præbuiſſe, vt eadē cū Diana putaretur.

Inuenio alibi ſcriptum κριτομαρτιν *pro Britomartin. Appellata præterea eſt à ſtudio venationis* κυνηγέτης, θηροκτόνος, ἐλαφιβόλος, καὶ ὀρεσίφοιτος. *i. Venatrix, ferarū interfectrix, ceruorum iaculatrix, & montiuaga. Tradūt autem hanc primū venationem in Agra regione exercuiſſe, & inde Agroteram dictā fuiſſe*

eiuſque

eiúſque ſimulacrum ibi arcum tenuiſſe. Fuit & Apollo ab eadem regione dictus Agræus. Cæterùm Pauſanias Agroteræ cognomen ad hanc refert hiſtoriam. Cùm enim, inquit, Hyperienſes à Sicyoniјs impetiti bello, ſe illis impares ſentirent, oēs totius regionis capras congregârūt, harumq́ cornibus ardentes faces alligârūt. Sicyonij aūt putātes ſuppetias aduenisſe, domū ſunt reuerſi, atq; ita Hyperienſes Caprarū beneficio liberati, poſtea Ægiratæ à capris dicti ſunt: & quo loco pulcerrima capra et dux aliarū genu flexerat, ibi ferūt eos dianæ Agroteræ templū ædificaſſe, quam aliqui Venatricem, alij aūt Agreſtē verterunt. Sed ego putarim Pauſaniæ locū corruptū eſſe, proq́ Agrotera, Ægrotera legi debere. Quid enim Agrotera cùm capris habet ſimilitudinis, & tamē à capris Deā cognomē habuiſſe, ſatis eo loco indicare videtur Pauſanias. Porrò Elaphiæam ſunt qui malint eā eſſe dictā, ab Elaphia nutrice, quā à Ceruorū venatione. Phocenſes aūt inſtituerant Elaphibolia Dianæ ſacra ob partā aduerſus Theſſalos inſperatā victoriam. Lycæa quoq; à lupis Trœzeniorū agrū vaſtātibus, quos Hippolytus expulit, nominata eſt.

Fuit

Fuit & à Megarẽsibus Diana cognomento Sotera, id est, Sospita magna veneratione culta, q̃ ipsius potissimũ auxilio Mardonij exercitũ trucidassent. Nam cum Mardonij milites, agro Megarensi vastato, ad ducẽ suũ redire vellẽt, ferũt Dianæ numine statim noctẽ interuenisse, eosq́; locorũ ignaros in partes regionis montanas aberrasse, ibiq́; cùm illuxisset facilè à Megarensibus oppressos, vtpotè inermes & sagittis vacuos. Quippè tota nocte in rupes iaculati fuerant, eas hostilem esse manum credentes, quòd illæ ad sagittarum ictus velut gemitus imaginem redderent: ideoq́; Megalenses eius beneficij ergò Dianæ Soteræ simulacrũ erexisse. Dicitur & Theseus Dianæ Soteræ seu, Sospitæ templũ in Trœzemorũ foro cõstituisse, ob superatũ Asterionem Minois regis filiũ. Nam cùm ille omnes, quibuscũ vnquã Theseus depugnârat, fortitudine vinceret, & edito tanto facinore non sine miraculo euasisset; id diuinæ prouidentiæ adscripsit, & Dianæ Soteræ simulacrum dicauit. Fuit & apud Pellinenses nemus Dianæ sospitæ muris vndique circundatum, quod ingredi nisi sacerdotibus, nulli hominum licebat. Sacerdotes erãt ex præcipua

ciuium nobilitate electi Inuenio Dianam Soteram, id est, vt alij vertunt, Conseruatricem, in Sicilia potissimum cultam fuisse, & in eius honorem Agathoclem regem monetam percussisse, in cuius altera parte ipsius Deæ effigies erat, cum hac inscriptione, ΣΩΤΕΙΡΑ in altera verò, erat nomen ipsius Agathoclis regis. Plutarchus etiã auctor est Themistoclẽ Dianæ templum dedicasse, quam ab optimè consulẽdo Aristobulam appellauit. In multis autem locis sacrificabatur Dianæ sanguine humano, vt in Tauris loco Scythiæ, vnde Taurica seu, Tauropolia dicta est. Sed cum Ariciam trãslata esset (vnde Aricina dicta est) eiq; serui aliquãdiu immolati fuissent, displicuit tandem Romanis sacrificij crudelitas, traductaq; est ad Laconas, vbi sacrificij consuetudinem puerorum verberibus diu seruatam testis est Cicero in 3. Tuscula. Similia refert Pausanias, qui scribit in Dianæ Orthiæ sacrificijs apud Laconas, adulescentulos, qui Bomonicæ dicebantur aris superpositos contendere solitos, quis plura verbera sustineret. Tradunt alij cùm Iphigenia ad aram staret, Taurum per medium agmen cucurrisse, vatémque hoc conspecto responꝫ

ſpondiſſe, taurino ſanguine, non humano Dianæ ſacrificium peragendum eſſe: atq; eius memorem Oreſtem in Attica Dianæ Tauropoliæ templum, iuſſu Palladis conſtruxiſſe. Diodorus de quadam Amazonum Regina loquẽs: Marti quoq;, inquit, & Dianæ ſacrificium inſtituit, quod Tauropolium appellauit. Poteſt & dicta eſſe ταυροπόλης, *quòd gregibus præſit: vel ꝙ Luna, quæ eadem eſt cum Diana, tauris vehatur. Suidas ſcribit dictam* ταυροπόλαν, *quòd immiſſum aduerſus Hippolytũ à Neptuno taurum æſtro perculerit, eumq; paſſim errantem arcu ſauciauerit, vnde &* ταυροβόλον *nuncupatam. Sunt qui contendant Dianam non aliunde, quàm à tauris* ταυρόπολαν *fuiſſe cognominatam, quòd tauri quoq; fuerint olim, quemadmodum & cerui, in huius Deæ tutela. Inuenio & ſacrificium Tauropolium, vel, vt alij volunt, Taurobolium, in honorem quoq; Cybeles & Mineruæ quondam celebratum fuiſſe. Cælius refert ex antiquorum monumentis, Dianæ quoq; Triclariæ ſanguine humano quondam litatum fuiſſe, quòd in ipſius delubro Melanippus & Comætho amore victi, turpiter coijſſent. Pauſanias addit*

ob hanc templi profanationem consequutam magnam agrorum sterilitatem, variaq; morborum genera, & ex his repentinas crebrásque mortes: consultumq; Apollinem respondisse, vt Melanippum & Comæthonem, & præterea singulis annis virginem pulcherrimã Dianæ sacrificarent. tandemq; Euripylum sacrificij crudelitatem sustulisse. Porrò ab Iphigeniæ ad aram statione, Dianam etiam Iphigeniam dictam volunt. Fuit & λυγόδεσμος appellata, propterea quòd eius simulachrum dicatur inuentum inter virgultorum densitatem, quæ λύγοι vocantur: & Latinè Fascelis, à fasce lignorum, inter quæ eius signum absconsum erat, quod occiso Thoante Tauricæ regionis rege ab Oreste & Iphigenia Agamemnonis liberis in Italiam delatum est. Dicta autem est Orthia, à recto corporis statu. Sed & ab albis supercilijs Leucophryne nominata est. Huius Idolum filij Themistoclis dedicarũt Athenis: & Eucleam, quam velut Gloriosam rectè dixeris, Thebanis fecit Scopas: & apud Pheneatas Euripp.e, ἀπὸ τοῦ εὑρεῖν, tẽplum Vlysses cõstruxit, quod amissos equos ibi inuenisset. Fuit & Pyronia Diana in monte Crathide culta,

vnde

vnde vetustis temporibus Argiuum ignem ad Lernæa ferebant, à quo igne sic dicta est: & Strongylos, quasi rotunda seu turbinata, cuius simulacrũ fecit Praxiteles: & Coryphæa, cuius in apice montis Cymortij visebatur sacellum. Habuit & Diana cognomento Hegemacha, id est, Bellatrix apud Lacedæmonios templũ: & quòd Gymnasio proxima fuerit, Philomirax, quoque vocata est, ab adulescentium amore deducta appellatione: & Hieriæ, id est, sacræ Dianæ apud Oresthasium oppidum ædis fuit. Phygalenses quoque Eurynomam Dianæ cognomentum esse crediderunt. Alij filiam Oceani Eury nomẽ esse putauerunt: Eodem autem die Eurynomæ templum quotannis aperiebant, & reliquo tempore clausum tenebant. Ibi rem sacram faciebant tum publicè, tum priuatim homines plebei. Vincula simulachri aurea fuerunt, & supra coxarum vertebras mulieris erat effigies, & reliquis partibus piscis figurã præ se ferebat. Fuit & tẽplũ Dianæ Cordaces cognomento, à Cordace saltationis genere Sipyti accolis valdè familiari, quod Pelopis comites ludos, huic deæ pro victoria celebrantes saltasse dicuntur.

Colebatur & à Clitorijs Diana Hemeresia à mansuetudine sic dicta, quòd Melampus Præti filias arcanis quibusdam expiationibus à furore in Dianæ tēplo liberasset. Fuit & apud Lydos nobile Dianæ Anaitidos phanum. Vnde autem Coccoca dicta fuerit, quæ aram habuit in Olympia, ingenuè fatetur Pausanias se nescire. Sed & à nominibus eorum qui tēpla ei posuerunt, vel statuas erexerunt, varias etiā nomenclaturas consequuta est. Colenis enim denominata est, à Coleno, qui ante Cecropem regnauit: & Cnagia, à Cnagio Spartano, qui in bello à Castore & Polluce in Aphidnam gesto captus & Cretensibus venditus, cum deæ simulacro in patriam aufugit: & Laphria, à Laphrio Phocēsi, qui eam Calydonijs erexerat, licet alij malint sic dictam, quòd ira Deæ singulis annis in Oeneum ἐλαφροτέρα, *id est, mitior fieret. Præfert huius signum venatricis habitum: ex ebore verò & auro est fabricatum.*
Huic anniuersarium sacrum in hunc modū faciunt. Viridia ligna circa aram vndequaque disponunt, intra aram verò aridissima: & sub festum diem ascensum struunt ad aram, ingesta ad aræ gradus ara molliore. Postea pompam

Dianæ magnificentißimam celebrant, quam vltima virgo sacerdos sequitur in curru sedēs, quem cerui vehunt. Postero autem die sacrificia persoluunt. & aræ omnis generis aues esculentas, apros item, ceruos & capreas superimponunt. Addunt & omnium pomorum genera. Deinde ignes immittunt, quos si quasdam feras effugere contingat, rursus reducuntur, à quibus neminem vnquam læsum fuisse dicunt, quod & pro miraculo ducunt. Signum huius Dianæ post bellum Actiacum ex Calydone Patras inter reliquas prædas ab Augusto translatum est, vbi in summo cultu honoreq́; etiam sua ætate fuisse auctor est Pausanias. Appellata est & Munychia, à Munycho, qui ei sacellum de nomine suo ædificauit. Quia autē Vrsam in hoc sacello genitā Athenienses occiderant, ingēs fames subsecuta est, qua non prius eos liberatum iri respōdit oraculum, quàm inuentus esset, qui filiam Dianæ sacrificaret. Quod Embarus quidam hac lege se facturum repromisit, si sacerdotium, quo tūc fungebatur, ei hæreditarium facere, & ad posteritatem suam transferre vellent: vnde factum est, vt quem insanum delirumq́; veteres

dicerent, eum Embarum vocarent. Meminit huius prouerbij Erasmus in Chiliadibus. Alij à Munychia seu oppido, seu Cherroneso iuxta Athenas, sic dictã malũt, vbi religiosissimè colebatur. Brauronia itẽ appellata est, à Braurone populo, vel à Braurone Heroe, qui populo nomen dedit. Erat autem in arce Atheniensium Dianæ Brauroniæ phanum, & eius simulachrũ à Praxitele factum. Alphæa quoque nominata est, ab Alphæo, quem miro astu delusit. Nam cùm Dea intellexisset, illum per noctem in saltibus se persequi, sibi cæterísque Nymphis lũto faciem illeuit, vt quæ esset Diana, discernere nesciret, atque ita re infecta domum rediret. Cæterùm Letrinæi Alphæum miserati, ab eius amore Dianam Alphæam nominarunt. Elei verò, propter eam, quam cum Lætrineis amicitiam habebant, ritus, quibus domi Elaphiæam Dianam colere consueuerant, & ipsos Letrinæos docuerunt, vt ijsdem Dianam Alphæam venerarẽtur. Inde factum est, inquit Pausanias, vt temporis progressu, pro Alphæa, nominaretur Elaphiæa. A Sarone quoque rege, Saronis nũcupata est, qui ei templum extruxit ad mare, in loco, qui postea, Phœbæa Palus,

dictus

dictus est. In huius Saronidis Dianæ honorem singulis annis Saronia festa celebrabātur. Dicta est præterea Lycoatis, à Lycoa ciuitate, vbi templum habuit: & Sciatis, à Scia loco, propè Megalopolim, vbi sacellum Aristodemus ei condidisse dicitur: & Cnacalysia, à Cnacalo monte, iuxtà quem sacra ei faciebant Caphyatæ: & Pergæa, à Perga oppido Pamphiliæ, vbi templum habebat operosissimum, & ei fiebant celeberrima quotannis festa: & Stymphalia, à Stymphalo vrbe, circa cuius ædem efficta erant Stymphalides aues andropophagi, quas Hercules sagittis confecit: & Amarysia, seu potius Amarynthia, ab vrbe Amaryntho, quæ est in Eubœa: & Delia, ab insula Delo: & Cynthia, à Cyntho monte, qui tantæ fertur altitudinis, vt totam Delon vmbra sua tegat. Virgi. in. 3. Eclog.

Notior vt non sit canibus iam Delia nostris.

& in primo Aeneid.

Qualis in Eurotæ ripis, aut per iuga Cynthi
Exercet Diana choros: *& Issoria, ab Issoro Laconico monte: & Susia, à Susa, nobilissimo Persarum oppido, in quo Dianæ Susiæ templum erat magnificentissimum: &*

Coloëna, seu, vt volunt alij, Colonea à lacu quodam Coloo nomine, circa quem in maxima habebatur veneratione. Refert Strabo scripsisse quosdam in hoc loco diebus solennibus simias saltare cosueuisse: & Condyleatis, à Cōdylea vno à Caphyis distante stadio. sed hæc postea mutato nomine ἀπαγχομένη inde appellata est, quòd pueri circa templum eius colludentes funiculum fortè repertum Dianæ collo iniecerunt, Deam se suspendisse clamantes. Sed cùm à Caphyatis deprehensi, lapidibúsque obruti fuissent, accidit, vt Caphiatarum vxores abortirent. Consultum oraculum respondit pueros sepeliendos esse, & eis sacra quotannis facienda. Dicta est & Caryatis, à Caryis loco Dianæ & Nymphis sacro, vbi simulachrum erat Dianæ Caryatidis sub dio. Eo in loco Lacedæmoniorum virgines singulis annis patrias choræas de more ducebant. A Derrhio quoque loco propè Taygetum, Derrhiatis dicta est, vbi signum etiam sub dio habuit: & Persica, à Perside regione, ante cuius templum Adrasto Lydi æneam statuam posuerant: & Pheræa, à Pheris, vnde ad Athenienses, Sicyonios & Argiuos aduecta fuerat. Scribit & Pausanias

locum

locũ fuisse in finibus Spartanorũ, Hypsum nomine, qui Aesculapio, & Dianæ cognomento Daphneæ sacer fuit: & Dianam Mysiam ad Cranij lucum cultam fuisse. Tradũt apud Argiuos non procul à regione, quam vocant, Delta, Dianæ fuisse sacellum cognomento πειθοῦς, *id est, Suadelæ, seu potius (vt alij volunt) Suadæ: idq́; ædificatum ab Hypermnestra, cùm patrem in iudicio vicisset, qui eam in ius traxerat, quòd marito pepercisset. Colebãt & Arcades ex veteri instituto Dianam Hymniam, cuius sacerdotio præesse solebat virgo, donec vna ab Aristocrate vi compressa fuit. Nam ex eo tempore mulier legi cœpit, quæ virili consuetudine satiata erat. Porrò Arcades Aristocratem ob violatum virgini pudorem saxis obruerunt. Erat apud Orchomenios & Diana Cedreatis, à cedro vnde effictа erat, dicta. Appellata fuit &* ἡγεμόνη, *quasi dicas ductricem. Huic Chronius quidam post interfectum à se impulsu Dianæ Aristomelidam, qui virginẽ quandam vi corrumpere volebat, cũ Tegeam aufugisset, templum eo loco erexit, eámque* ἡγεμόνην, *quòd eius ductu euasisset, appellauit. Inter omnia autem Dianæ delubra, quæ varijs*

in locis

in locis habuit, nullum magnificentius extitit templo Dianæ Ephesiæ, vt quod à tota Asia vix perfectum sit ducentis viginti annis. Plinius scribit ædem hanc ædificatam esse in loco palustri, ne terræmotus aut hiatus timeret: & ne in lubrico atq; instabili tantæ molis fundamenta locarentur, ea substrata fuisse, calcatis ante carbonibus, deinde lanæ velleribus: vniuersiq; templi longitudinem quadringentorum viginti quinque pedum fuisse: latitudinem ducentorum viginti. Item columnas cētum viginti septem fuisse, sexaginta pedum latitudine, à singulis Regibus factas. Pindarus, Mela, & Solinus tradunt ab Amazonibus Asia potitis, templum hoc constructum fuisse. Sed Pausanias Pindarum reprehendit, dicēs Cræsum quendā virum indigenam, & Ephesium Istri fluuij creditum filium, templum hoc ædificasse. Adeò autem celebre fuit hoc Dianæ Ephesiæ templum, vt inter septem orbis miracula connumeratum sit, & cùm Xerxes omnia Asiatica templa igni daret, huic soli pepercerit. Sed hac Xerxis clementia, inquit Solinus, non diu sacras ædes à malo vindicauit. Nam Erostratus, cùm nomen suum posteritati consecrare

consecrare modis omnibus cuperet, atque hoc virtute consequi sceleratus nebulo non posset, nobilissimam fabricam manu sua incendit, ratus propter hoc saltem facinus nomen suum ab Historiographis propagatum iri. Quod cùm ad Ephesios relatum esset, edicto vetuerunt, ne quis ipsius nomen memoriæ mandaret. Sed minimè obtemperatum est, quando sacrilegi nomen in hodiernum vsque diem peruenit, quanquàm cum infamia & dedecore.

Refert Strabo cum Erostratus Dianæ templum igne consumsisset, Ephæsios nouum construxisse, priore magnificentius, mulierum ornamentis, ac multis opibus ad id collatis, refectisque prioribus columnis. Ferunt Alexandrum Magnum, cùm ædem Dianæ instaurari audisset, sumptus ad eam tum factos, tum futuros promisisse, si eius rei titulus ipsi adscriberetur: Ephesios autem renuisse: hanc caussam, ne ambitiosum Regem offenderent, prætendentes, quod dicerent non decere Deum Dijs quicquam dedicare. Illud quoque silentio nequaquam prætereundum est, quo die natus est idē Alexander,

eodem

eodem templum huius Dianæ Ephesiæ arsisse: quod ideò accidisse creditum est, quòd illa in Olympiadis partu obstetricis officium præstiterit, quod à nobis quoque antè dictum est. Certè sacerdotes Ephesij per hoc incendium magnam Asiæ portendi calamitatem prædixerũt: quod & postea factum est, occupato ab Alexandro vniuersæ Asiæ imperio. Huius Dianæ Ephesiæ longa fit mentio in Actis Apostolorum capit. 19. vbi Erasmus ex Hieronymo dicit Dianam hanc, creditam fuisse, non Iaculatricem illam, sed cognomento πολύμαστον, id est, Multimammiam, quòd eam omnium viuentium nutricem haberi vellent. Fuit & apud Lacedæmonios, à Limnis loco propè Thurium vicum, Dianæ Limnatidis templum, cuius simulacrum, occupata iam à Doriensibus Lacedæmone Sparta, Preugenes quidam somnio admonitus ad Patrenses exportauit, indeq́; postea mansit consuetudo, vt singulis annis, cùm Limnatidis Dianæ festum celebrabatur, antiquum eius simulacrũ in nemus deferretur. Limnææ Dianæ Pausanias etiam meminit, quam Palustrem aliqui verterunt. Sed & Romani Dianæ in Auentino rem diuinam

uinam facere consueuerant. Quin & Seruius Tullius Romanorum Rex Latinis suasit, vt exemplo eorum, qui Dianæ Ephesiæ ædem cõstruxerant, & ipsi Dianæ Auentinæ in Auentino monte templum ædificarent. Propert.

Phillis Auentinæ quædam est vicina Dianæ.

Dicunt aũt huius Auentinæ Dianæ templum olim eo loco fuisse, vbi nunc est Diuæ Sabinæ ædes.

¶ DE MINERVAE COgnominibus.

Caput Tertium.

APpellata est Minerua, teste Cicerone, à minuendo. *Nam immodicum sapientiæ studium, corporis vires mirum in modum debilitat: vel à minando. pingebatur enim armis velut minitans. Alij à benè monendo dictam malunt: vel quòd ventorũ vim minuerit: nam à ventorum diminutione etiã Græcis* ἀνεμῶτις *vocata est. Huic Diomedes apud Mothonem Peloponnesi ciuitatẽ, quòd ipsius auxilio sedata esset vẽtorum tempestas,* delu-

delubrum ædificasse dicitur Pausanias refert & Iouem à Lacedæmonijs cultum Euanemi cognomento, à prosperis ventis ducta appellatione. Facit autem Cicero quinque Mineruas, dicitque quartam ab Arcadibus Coriam (vt meus habet codex, aut, vt alij legunt) Coresiam nominatam, & hanc vult quadrigarum vsum inuenisse. Certè Coriæ Mineruæ ædem apud Clitorios cum signo eiusdem fuisse, auctor est Pausanias in Arcadicis. Sed Gerbelius in sua Græcia coresiam pro Coria reponendum eo loco censet, & sic etiam apud Ciceronem legendum esse contendit, quippe Coresiam quadrigarum inuentricem fuisse. Vnde fortassis & Græci Mineruam Hippiam, & δάμνιππον, id est, Equestrem, & Equorum domitricem vocauerunt. Crediderunt Athenienses Deam hanc omnium artium repertricem fuisse. Hinc eam ἐργάνην, à multis operibus, quibus præesse putabatur, cognominauerunt. Eadem ratione impulsi veteres eam quoque γιγαντοφοντίδα, id est, Gigantum interemptricem dixerunt. Proprium siquidem Eloquentiæ homines feros debellare, hoc est, ex truculentis, mites ac placi-

placidos reddere. Diodorus Siculus tradit Mineruam tibias, earumq́; cantum & plurima instrumēta ad varias artes pertinentia adinuisse, indeq́; eā ἐργάνην, id est, Operariā nūcupatā esse. Simili ratione dicta est μηχανῖτης, quo nomine Megalopolitæ coluerunt & Venerem, quòd amatores plurimas artes excogitent, vt amoribus suis fruantur. Fuit & Iupiter μηχάνεος, id est, Machinator dictus, vt tradit in Corīthiasis Pausanias. Scribit Plinius Demetrium fecisse Mineruam, quæ Musica nominabatur. Pausanias quoq; auctor est, Mineruæ cognomento σάλπιγγος, id est, Tubæ templum ab Helegeo extructū esse Tirrheni filio, cui tubæ inuentionem, ac eius posteà cantum Helegeo, non Mineruæ tribuit. Vocauerunt & nonnulli Deam hanc à medendi arte, bonáque valetudine, quā præstare credebatur, Pæoniā, & Hygiaā. Traditum est quacunque re Hygiææ litatum fuerat, eadem numen placari consuetum. Sed & à rebus bellicis, quibus præfuisse credita est, multas appellationes habuit. Sed fortaßis mirabitur hîc studiosus lector, cur, quum bellum & literæ nihil prorsus

inter se commune habeant, imò verò cum inuicem δ' ἰς Διὰ πασῶν discrepent: veteres tamen quemadmodum sapientiæ studium, ita bellicarum quoque rerum curam huic Deæ *tribuerint. quem nodum vt dissoluam, puto equidem non temerè hoc ab illis factum esse. Quippè sicut ad comparandas literas, magno labore, prudentia, ac iudicio opus est: ita ad exequendas quoque res bellicas, longè maiorem & diligentiam & ingenij acrimoniam adhibere necesse est. Vnde mirum non est, si prudẽtissimam Deam, vt artium omnium, sic bellorum etiam præsidem fecerint, illamq́; ex ea re multis cohonestarint appellationibus. Dicta enim est Græcis ἄρεια, id est, Fortis, strennua, & Martialis: cui apud Plateenses templum ex Marathoniæ pugnæ manubijs ædificatum est. Scribit in Atticis Pausanias Martem, qui primus eo in loco de capite accusatus fuit, aram Mineruæ Areæ construxisse. Nam ἄρης Martem significat. Aiunt & Orestem apud Areopagum, vbi matris occisæ caussam dixerat, absolutum, Mineruæ Areæ eo loco sacellum erexisse: & ἀτρυτώνη, quòd nullo bellico labore defatigetur, vel quòd æther nullo modo atteratur.*

ratur. Pausanias autem scribit apud Phlyenses & Myrrhinusios Mineruæ Tithrones fuisse delubrum: & Latinis Bellona, seu, Duellona: significauit enim olim duellum idem quòd bellum. Statius.

——— regit atra iugales
Sanguinea Bellona manu.

Templum autem Bellonæ fuit in vrbe non procul à Circo Maximo, ante quod erat, aucto re Festo, columnella, vnde hastam mittebant, quoties aliquibus gentibus bellum indicere volebant. Ouidius in sexto Fastor.

Hinc solet hasta manu belli prænuntia mitti,
In Regem, & gentes cum placet arma capi.

Appius Claudius dicitur Bellonæ templum constituisse, quo tempore Romani contra Pyrrhum bellum gerebant. Ouid. eod. lib.

Hoc sacrata die Thusco Bellona duello
Dicitur, & Latio prospera semper adest.
Appius est auctor, Pyrrho qui pace negata
Multum animo vidit, lumine cæcus erat.

Dicunt aliqui Bellonam hanc, eandem esse cum ἐνυώ. *quæ sic nominata est, quòd* ἐνυοῦσα θυμὸν, καὶ ἀλκὴν τοῖς μαχομένοις. ἢ, κατ' εὐφημισμὸν, ἀπὸ τοῦ ἥκιστα

ἐνεὴς, ὅ τι ἀπηνής εἶναι, *id est, ab immittendo furore pugnantibus: vel, quòd minimè sit mitis. Martialis.*

Cum dubitaret adhuc bellis ciuilis Enyo.

A victoria quoque, quam strenuè bellantibus largiri solet, νίκη *dicta est, cuius simulacrum colebatur Athenis apteron, id est, sine alis, vt inde victoria nō auolaret, habebatq́; in manu dextra malum punicum, in sinistra galeam. Nominata est & Stratia, id est, Militaris: & Astratæa apud Laconas dicta est, quòd Amazones vlterius progressæ non fuissent, ibíque belligerandi finem fecissent. Nam* ἀστρατεία, *græcis pax est, quando scilicet cessatur à bello. Idem cognomen Pausanias tribuit Dianæ, qui & scribit apud Thebanos duo simulacra stetisse Palladis cognomento* ζωστηρίας, *quæ ab Amphitryone ideo dedicata ferunt, quòd aduersus Eubœos & Chalcoduntem pugnaturus, ibi arma induerit. Significabat enim* ζώσασθαι *veteribus* τὰ ὅπλα ἐνδυέναι, *id est, arma induere. Alij volunt à zonis quas bellaturi humeris circumligabant, & vnde gladij pendebant, hoc cognomen sortitam. Lycophronis interpres ait & Mineruam Laphryam appella-*

pellatam, quasi Laphyriam per Syncopen, quòd victores ex bello ferant τὰ λάφυρα, id est, exuuias. Dicebatur & δορυκέντως, q. hasta pungens: & vocata est Pallas eadem de caussa, hoc est, ἀπὸ τοῦ πάλλειν τὸ δόρυ, à vibratione hastæ. Vnde & Armisona dicitur à poeta in 3. Æneid.

—— Tum numina sancta precamur
Palladis Armisonæ:

vel à Pallante patre, quem, ne ab eo corrumperetur, occidisse fertur: vel quòd apud Pallantem Lycaonis filium educata sit: vel ἀπὸ τοῦ ἀναπαλθῆναι αὐτὴν ἐν τῇ κεφαλῇ τοῦ διός, id est, quòd in capite Iouis agitaretur: vel διὰ τὸ παλλομένην τὴν καρδίαν τοῦ διονύσου προσκομίσαι τῷ διΐ, id est, quòd palpitans adhuc cor Dionysij ad Iouem tulerit. Tradunt eam & Glaucopin dictam de formidoloso aspectu. Nam leones & dracones nonnunquam Glauci dicuntur: vel à glaucis, id est, cæsijs oculis, quales habuisse Neptunum ferunt, à quo de Tritonide palude Mineruam susceptam fingunt. Diodorus arbitratur appellatam Glaucopin, non quòd glaucos habuerit oculos, vt græci memoriæ prodiderunt, sed quòd aër, quem

Pallada nominârunt, glauci sit coloris. Sunt qui tradiderunt Glaucopin vocatam διὰ τὸ λαμπρὸν, καὶ περιβλεπτὸν τῆς ἀρετῆς, *id est quòd illustris sit virtus ac perspicua. Gorgonia quoque dicta est ab aspectu truculento. Nam* τὸ γοργὸν, *truculentum sonat: fortassis quia Gorgonis caput, quòd anguibus loco crinium circumdabatur, visu atrox esset. Fabulantur enim Gorgonis caput tale fuisse, vt homines hoc conspecto, statim in lapides verterentur. Ouidius.*

Gorgonium crinem turpes mutauit in hydros,
Nūc quoq; vt attonitos formidine terreat hostes
Pectore in aduerso, quos fecit, sustinet angues.

Dicitur autē Minerua Medusæ vnius è tribus Gorgonibus caput à Perseo amputatum in clypeo suo gestasse. Scribunt alij Phorcum Cyrenensem columnis Herculis imperantem, aureum Palladis simulacrum fecisse, linguáque patria Gorgonem vocasse. Cyrenenses enim appellare Mineruam Gorgonem, quemadmodum Dianam Thraces Bendiam, Cretenses Dictynnā, Lacedæmonij Vpin: hocq; simulacrū postea vi à Perseo ablatū, quod fabulæ caussam dedit. Fuit & χαλκίοικος nominata, vel quia

ædem

ædem haberet æream, vel quia Chalcidenses ex Eubœa profugi, templum ei construxissent: & πολιοῦχος, id est, ciuitatis Gubernatrix, seu, Tutelaris, vt vertit ex Herodoto Valla. Hanc Pausanias tradit eandem fuisse cū Chalciœco. Huius autem Mineruæ templum incœpisse dicitur Tyndarus, perfecisse Lacedamonij ex ære conflato simulachro. Colebant & Athenienses Mineruam Poliadē, quam etiam ἀστὴρ, id est, Vrbanam vocabant. & hoc ad differentiam eius, quæ extra muros ædes sacras habebat. Meminit Lucianus in Lapythis huius cognominis. ὤμοσα, inquit, κατὰ τῆς πολιάδος μὴ εἰληφέναι, id est, iuraui per Poliadem me non cepisse. Non procul ab æde Poliadis duæ virgines habitabant, quas à ferendis calathis Canephorous appellabant. Harum capitibus certo quodam die festo Mineruæ, sacerdos quædam gestanda imponebat: sed quænam illa essent, neque quæ imposuerat, neque quæ ferebant, sciebant. Propè autem Veneris Hortensis templum subterraneus erat descensus, in quem ingressæ virgines, quæ detulerant, ibi relinquebāt, & inde aliud quippiā, similiter coopertū,

 expor-

exportabant, postea liberas eas faciebant, nouasq; eligebant. In huius Mineruæ templo erat signum, quod è cælo cecidisse credebatur, iuxta quod erat perpetuus ignis, quem virgines ab Ictino institutæ custodiebant. In eodem templo lampas aurea fuisse dicitur à Callimacho dedicata, quæ semel oleo repleta, post annum inueniebatur adhuc supernatare, quanquàm totum annum noctu ac interdiu luxisset. Ferunt olim Mineruam & Neptunum de Orea regione, quam Træzenem postea vocârunt, contendisse, & lite postea composita, vtrumque ex æquo eam obtinuisse: & ex hâc causa Træzenios Mineruam veneratos, Poliadem eandem & Steniadem nominantes, & Neptunum cognomento Regem. Delectabatur ipsa vrbibus, sicut & Iupiter. Vnde Virgilius.

——— Pallas quas condidit arces
Ipsa colat.

Hinc & ἐρυσίπολις, καὶ λαΐσσις, ἀπὸ τῶν λαῶν. Phurnuto dicitur, hoc est, quòd populos incolumes seruet: quanquàm & ἀπὸ τῆς λείας, id est, à præda cognomen hoc deriuare quosdā dicat. Pausanias quoque auctor est, Mineruæ

ὀξυδερ-

ὀξυδέρκῳ, *id est, acutè cernenti dicatum à Diomede templum, quòd ipsi ad Troiam pugnanti caliginem ex oculis eiecerit: & ab Hercule post sumptam de Hippocoonte, eiúsque liberis vindictam, ædem constructam Mineruæ* ἀξιοποίνῳ. *i. Vltrici: veteres enim vltiones* ποινὰς *nominasse. Fuit & nō procul à monumēto filiorum Medeæ templum Mineruæ Chalinitidos, id est, Frenatricis cognominatæ. Ipsa enim Bellerophonti Pegasum equum præbuit, & eum infrenauit. Vnde à freno. i.* ἀπὸ τοῦ χαλίνου, *Chalinitis denominata est. Eleæ quoque mulieres Mineruæ cognomento* μητρὸς *templū ædificauerunt, quòd, cùm viderent regionem suā hominibus viduatam, ab ea impetrassent, vt primo cum viris concubitu grauidæ fierent. Et Vlysses post superatos cursu Procos Palladis* κελευθείας *simulacrum erexit, quam sic appellauit, vel* ἀπὸ τοῦ κελεύειν, *id est, ab adhortando: vel à via, quam græci* κέλευθον *vocant. Porrò sicut Mercurius Pronaos dicitur, vt ante diximus, sic Minerua ab Herodoto* προνηΐα, *id est, si latinè transferre vis, Protemplaris. Verba Herodoti latinè sic habent. Saxa quæ à Parnasso deciderunt, adhuc ad nostram*

vſque memoriam integra extant in fano Mineruæ Protẽplaris locata. Erat & Delphis templũ Mineruæ Prouidæ, hoc eſt, τ̃ προνοίας, cuius æneum ſimulacrum, quòd in veſtibulo eſt, Meſſaliotæ poſt ſuperatos nauali prælio Carthaginiẽſes gratitudinis ergò dedicârunt. Aureum verò ſcutum à Croeſo Rege Mineruæ Prouidæ donatum Philomelus furto abſtulit. Quin & Vlyſſes ex Ilio rediens Mineruæ Seruatrici .i. Soteræ delubrum condidiſſe fertur in via publica, quæ Megalopolitarum Tegeatarumq́ue fines diuidit. Refert Plutarchus in vitis, cum Lycurgus priuatorum luxum ſuſtuliſſet, diuitibuſq́ue ob hoc factus eſſet inuiſus, quendã inſolentem hominem Alcãdrum nomine, alterum oculum Lycurgo eruiſſe, poſteaq́ue Lycurgum in huius calamitatis memoriam Mineruæ templum ſtatuiſſe, quam Optiletin vocauit. Nam oculos Dores ὀπτίλους appellare. Alij Ophthalmitem eam à Lycurgo ex eadem cauſſa cognominatam dicunt, quod eodem recidit. Apaturia quoque cognominata eſt ab Aethra, quæ per quietem monita à Minerua, vt Sphæro ſacrificaret, cùm in Inſulam traieciſſet, à Neptuno compreſſa, Palladis Apaturias,

rias, id est, Deceptricis tēplum ibi erexit: præ- tereáque constituit, vt Træzeniorum virgi- nes zonas ante nuptias, Apaturiæ Palladi consecrarent. Erat & festum Athenis A- paturia nomine, quasi Homopatoria, quòd pa tres liberorum curiæ adscribendorum gratia tum conuenirent. Alij huius festi originem ad Melanthū referunt, qui occiso per fraudē Xantho, controuersos inter Bœotios & Athe- nienses terminos Atheniensium Imperio subiecit, à qua Melanthi fraude Athenien- ses Apaturia, id est, Deceptoria festa insti- tuisse volunt. Quatuor autem continuis die- bus in Apaturijs suis Athenienses sacrificijs, epulationibúsque publicis vacabant. Pausa- nias auctor est, Aleum quendam Tegea- tem templum ædificasse Mineruæ, quam à suo nomine Aleam nuncupauit, Tegeatásque hoc igni consumpto, postea longè sumptuosius erexisse, Augustúmque Imperatorem post superatum Actiaco prælio Antonium, Aleæ Mineruæ vetustissimum simulacrum cepis- se. dentésque apri Calydonij, qui in eo templo erant, quíque vlnæ longitudinem vince- bant, Romam transtulisse. Illud memoratu

dignum

dignum, quicunque in huius Mineruæ templum confugerent, plenam securitatem consequutos fuiſſe. Herodotus refert in æde huius Mineruæ præſepe equorum Mardonij, quod erat ex ære inſigniter elaboratum, à Tegeatis victoribus repoſitum fuiſſe. Relatum eſt in Græcorum monumentis Phyſcoam Eleam mulierem filium Narcæum Dionyſio peperiſſe, qui bellum cum finitimis geſſit, magnámque potentiam adeptus Mineruæ Narcææ templum de ſuo nomine condidit. Appellata fuit & Coronia, à Corono Therſandri F. Haliarti fratre: & Aiacea, ab Aiace, qui illi templum de ſuo nomine condidit, cum Alcathoo in regno Megarenſium ſucceſſiſſet: & Telchinia, à Telchinibus, quorum pars ex Cypro in Bœotos profecta eſt: & Sciradis, à Sciro vate Dodonæo, qui delubrum ei condidit, Sciradémque de ſuo nomine vocauit. Ferũt autem hunc Scirum vatem in eo prælio, quo Eleuſinij ab Erechtheo victi ſunt, occubuiſſe, noménque campo in quo ſepultus eſt, dediſſe: & Alalcomeneis, ab Alalcomeneo quodam à quo Deam in Alalcomenia ſeu ciuitate, ſeu vico educatam ferunt. Neque enim

enim παρὰ τὸ ἀλαλκεῖν, quod significat auxiliando expellere, vt plerique voluerunt, sic vocata est: (esset enim Alalceis) sed vt à Theseo Theseus, sic ab Alalcomeneo Alalcomeneis deriuatur. Huius Deæ simulacrum Sulla sustulit: vnde Pausanias putat eum pediculari morbo periyse. Phurnutus tamen ἀπὸ τοῦ ἀλαλκεῖν deriuat, qui & eam ἀγελήΐδα dictā vult, ab eo ꝙ populos quò vult, agat: siue ꝙ nullo modo dometur ἀγελείαις βουσὶ. i. pluri mis bubus, quas ei plerūq; immolāt: & Itonia, cuius tradunt templum fuisse inter Alalcomenas & Coroneam, appellatámq; sic Deam ab Ionio Amphyctionis filio, seu, ab Itono heroë, seu, ab Itone ciuitate, quæ est in Epiro, vbi celeberrimum habuit templum. Plutarchus in vitis scribit Pyrrhum superato Antigono suspendisse splendidiora & ornatiora spolia in templo Palladis Itoniæ cum huiusmodi Epigrammate:

Hæc de pugnaci Galatarum munera gente,
Molossis Pyrrhus fixit captiua Mineruæ,
Cùm totum Antigoni robur, totasq́; subegit
Pugnando turmas, (neq; id mirabile) namq;
Egregij bello, & clari sunt semper in armis
Æacidæ. ——

Petrus

Petrus Bembus ad Culicem, tradit duas fuisse Mineruas Itonias, priorem Thessalicam: ab Itono vrbe Thessaliæ: Bœotiam posteriorem: cui dicit Bœotos domum post bellum Troianum per Itonum Thessaliæ vrbem reuertentes, expugnata Coronea Palladi & ipsos in plano ante vrbem templum, nouumq́; oppidum condidisse. Et quia ab Itono omnia transtulerant, religione commotos, & ipsam vrbem Itonum, & Deam Itoniam vocauisse. Aristoteles scribit apud Daunios Apuliæ populos vetustissimum fuisse Palladis Acheæ templum, in quo Diomedis & sociorum arma visebantur. Addit eo loco fuisse canes, qui cum essent alioqui valdè feri, græcis tamen hominibus illuc fortè aduenientibus non modò non nocerent, sed etiam caudis adblandirentur. Fuit & Minerua Panachæis, tanquam quæ in vniuersa Achaia coleretur. Herodotus obiter meminit Mineruæ Palenidis & Tutelaris: Item Crastiæ, quam à Dorico quodam ita cognominatam vult, qui ei templum propè Crastim cōstruxerat. Idem quoque commemorat Haliattem, cum incendisset Mylesiorum segetes, atque ex illo igne, valido spirante vē-

to,

ro, Mineruæ Phanum cognomento Aßesiæ deflagraßet, repentè in morbum incidiße: Pythiamq; respondiße, non prius regem conualiturum, quàm templum instauraßet quod in ditione Milesiorum apud Aßesum oppidum concremasset. Fuit & apud Sicyonios templum Mineruæ Sicyoniæ, quod Epopeus ob partam contra Bœotios victoriam solenniter extruxit. Ferunt autem perfecto templo cum Epopeus Deam orasset, vt, si quod fecerat ipsi gratum esset, aliquo indicaret signo: repentè antè templum sua sponte oleum vbertim fluxisse. Erat & in Pisæa regione Palladis Cydoniæ templũ, à Clymneo Herculis Idæi nepote, q ex Cydonia Cretica ciuitate eò venerat, conditum. Dicta fuit & Iliensis, ab Ilio, vbi templum habebat Huic Locrenses duas quotannis virgines mittere consueti dicuntur, quæ postea diris conficiebantur supplicijs. quippe quarum corpora siluestribus lignis ex infelici stirpium genere cõcremabãtur, ex quibus restãtes postea cineres in mare proijciebantur. Caussa huius calamitatis fuit Aiax Locrensis, ob cuius nephandum in Cassandrum stuprum irata Pallas tam dirã pestem Locrẽsibus immiserat, vt omnes passim

sim interirent, nec prius remedium inuentū sit, quàm oraculis moniti Deæ singulis annis dùas ex suis virgines immolandas mitterēt. Quod sacri genus post euersam Troiam annos mille in vsu mansisse proditum est. Tanta dæmones cæcitate mortalium animos occupabant. Dicta est & Sunias, à Sunio Atticæ promontorio, in cuius summitate templum habuit: & Titana, ab oppido Titane, vbi eius fuit delubrum, in quod Coronidem reducebant. In eo vetus Mineruæ simulacrum cernebatur, quod ipsum fulmine tactum erat. Porrò Coronidem, statuam fuisse, quæ nusquàm in templo fixa erat, auctor est Pausa. in Corinthiacis: & Sais, à Sai Ægypti vrbe, vbi colebatur. Fuit & huius templum apud Lernam in vertice montis, vt eodem libro scribit idem auctor: & Hippolois, ab vrbe Hippola, quæ erat propè Tænarum: & Cyparissia, à Cyparissia oppido, vbi ædē habuit: & Coryphasia, à Coryphasio promontorio, iuxta quod fuit Pylus Nestoris patria, vbi culta fuit: & Nedusia, à Neda Arcadiæ, seu vt alij volunt, à Nedone Laconiæ fluuio, iuxta quem ei Nestor ædem erexit: & Lemnia, de qua

Pausa

Pausanias in Atticis. De Marathoniorum manubijs Phidias ex ære Mineruæ signum fecit, quam, quod à Lemnijs dedicata est, Lemniam appellant. Idem alibi scribit, in vrbe Epidauriorum arcem fuisse, in qua Mineruæ Cisseæ ligneum fuit simulacrum valde insigne. Item priscis temporibus in Asiæ montis vertice fuisse oppidum quoddam, in quo erat tẽplum Mineruæ Asiæ, quod diruta postea vrbe, adhuc inter ruinas sua ætate extitisse scribit. Mineruæ autem Ambuliæ & Iouis Ambulij meminit tantùm, nullam horum cognominum rationem tradens, sicut nec Promachormæ. Cæterùm ipsa appellatur frequenter à poetis Tritonia, quæ sic dicta est, à Tritone seu fluuio, seu palude, iuxta quam ex Iouis cerebro nata dicitur. Lucanus in 9. de Tritone loquens:

Hanc & Pallas amat, patrio quòd vertice nata
Terrarũ primã Lybien (nã proxima cœlo est,
Vt probat ipse calor) tetigit, stagniq; quieta
Vultus vidit aqua, posuitq; in margine plãtas,
Et se dilecta Tritonida dixit ab vnda.

Herodotus ait eam non Iouis, sed Neptuni & Tritonidis Paludis filiam fuisse: creditam

autem

autem Iouis filiam, quòd à patre reprehensa, Ioui se donasset. Dicitur Tritonia per Syncopē pro Tritogenia extrita ge Syllaba. Camers in Solinum Tritogeniam appellatam autumat, quòd scientiarum inuentrix sit. τριτογενείας enim nomine significari prudentiam. Vnde Democritus dicebat eam Tritoniam vocatam, quòd tria hæc mortalibus largiretur, βουλεύειν καλῶς, κρίνειν ὀρθῶς, καὶ πράττειν δικαίως. Potest & videri sic dicta, quòd τριτομηνίς, id est, tertio mensis die nata sit, qui sacer posteà fuit Atheniensibus: vel quòd è Iouis capite prosiluit. Trito enim Bœoti caput vocant: vel quòd eadem cum Luna credatur, quæ tertio demū post coitum die apparere incipit: vel auctore Suida, quòd τρίτη μετὰ ἄρτεμιν, καὶ ἀπόλλωνα ἐγεννήθη, quòd tertio loco post Dianam & Apollinem nata sit. Phurnutus autem ita quoque putat dictam, ὅτι ἡ τοῖς κακοῖς ἐγγενῶσα τὸ τρεῖν, καὶ τρέμειν, hoc est, quòd impuris hominibus duo hæc mala ingeneret, vt scilicet perpetuò fugiant tremantq́. Eusebius verò libr. 3. cap. 2. de Præparat. Euangelic. scribit Ægyptios aërem eundem cum Minerua putasse: ideóque eam Iouis filiam ac vir-

ac virginem credidisse, quòd aërē natura incorruptibilem & extremum vniuersi locū obtinere contenderunt: indeq; à vertice Iouis natam fabulosè tradidisse: ab eáque caussa Tritoniam vocatam esse. quippè ter in anno, vere, æstate, & hieme, commutari. Certè Diodorus scribit Mineruam Tergeminam à quibusdam dictam, propter tria anni tempora, ver, æstatē, & hiemem. Virgilius Mineruam sæpè Tritoniam vocat, vt in primo Æneid.

Nec dubijs ea signa dedit Tritonia monstris.

& alibi.

Iam summas arces Tritonia (respice) Pallas.

Græcè aūt hæc dea dicitur ἀθηνή, *de prauidēdi potestate, quasi Athrena. Nā* ἀθρέω, *perfectius inspicere significat: vel quòd ei matris vbera necesse nō fuerit sugere, vt quæ de capite Iouis nata sit. Nā* θηλάζειν *lactare dicitur: vel quasi* ἀθάνατος παρθένος, *quia sapientia nec mori, nec corrumpi potest: vel, auctore Platone, quasi* ἡ θεῖα νόησις, *vt quæ diuina cognosceret. Hæc Athenarum vrbi de nomine suo nomen imposuit, licet ea de re Neptunus diu cū ea contenderit. Phurnutus autē dicit difficile esse inuestigare, vnde Græcis ita dicta sit. quosdam*

dam enim ἀθλωᾶμ, ἀπὸ τοῦ ἀθρεῖν, quaſi in vnũ omnia colligat, deducere: quoſdã verò putare ita vocatã, quaſi mollitie carentẽ, hoc eſt, nihil θηλύτητος habentẽ: & quoſdã inde deriuare, quòd virtus nunquàm conſueuerit θητεύειν, id eſt, turpiter ſeruire: nec deeſſe, qui eam ab æthere ſic nuncupatam velint, indeq́ à veteribus Ætheroniam appellatam fuiſſe.

DE VENERIS COGNO.

Caput Quartum.



Nde dicta ſit Venus, oſtendit Cicero lib. 2. de natura deor. ſic ſcribens. Quæ autem Dea ad res omnes veniret, Venerem noſtri nominârunt: atq; eò potiùs venuſtas, quàm Venus à venuſtate. Vocatur Græcis ἀφροδίτη, & Latinis Cæligena, quòd nata ſit in mari de virilibus Cæli patris. Ferunt enim Saturnum Cæli patris genitalia falce amputata in mare proieciſſe, deq́ horum cruore & maris ſpuma, Venerem procreatam fuiſſe, indeq́ ipſam ἀφροδίτην, ἀπὸ τοῦ ἀφροῦ, i. à ſpuma nuncupatam. Ouid. in 4. Metamor.

——— *aliqua & mihi gratia ponto,*

Si ta-

Si tamen in medio quondã concreta profundo
Spuma fui, graiũq; manet mihi nomẽ ab illa.

& Virgil. in 5. sub persona Neptuni:
Fas omne est Cytheræa meis te fidere regnis,
Vnde genus ducis. —— Ad quẽ locum Seruius scribit, ideo Poëtas fingere, Venerẽ ex Cæli pudendis natã, quòd omneis corporis vires venus debilitet, et cõcubitus sine corporis dãno peragi nequeat: & ex mari, quòd sudor salsus sit, qui semper elicit coitum. Alijs magis placet Venerẽ ideo fingi à Poetis è mari cõceptam, quòd ex humecta natura cõsurgat coëundi cupiditas: vnde et à Græcis lasciuos ὑγροὺς vocari. Aristoteles, cuius opinionẽ sequitur Fulgẽtius, ἀφροδίτην vult esse dictã, quòd spermatis natura sit ἀφριώδης, id est, spumosa: Euripides verò quòd ἀφροσύνης, id est, insipientiæ Dea sit. Amor enim insaniæ & furoris caussa est. vel παρὰ τὸ ἁβρὸν τῆς διαίτης, id est, à vitæ mollitie, β in φ commutata. Simili de caussa dicta est φιλομήδεα, ἀπὸ τῶν μηδέων, à pudendis. Nonnulli tamen scribunt in nominatiuo φιλομειδὴς, & deriuant ἀπὸ τοῦ μειδάω, id est, à ridendo; quòd ad omnem hilaritatem nos prouocet. Plinius

eam ἀναδυομένην alicubi vocauit, credo, quòd in mari submersa non sit, sed ad littus enatauerit. Nam δύομαι idem est quod submergor. Huius Veneris ἀναδυομένης simulachrum ferunt Apellem aliquando pinxisse, typum ab insigni Phrynes pulchritudine mutuatum, cùm illa in Eleusyniorum conuentu spectante vniuersa Græcia corpus nudasset, ac diffusa coma in mare descendisset. Tanto autẽ artificio hæc Venus picta dicitur, vt cùm pars eius corrupta esset, nemo inuentus sit, qui illam reficere sustinuerit. Extat de hac Apellæa Venere pulcherrimum hoc Ausonij epigramma.

Emersam pelago nuper genialibus vndis
Cyprin Apellæi cerne laboris opus.
Vt complexa manu madidos salis æquore crines
Humidulis spumas stringit vtraq; comis.
Iã tibi nos Cypri, Iuno inquit & Innuba Pallas,
Cedim⁹, & formæ præmia deferimus.

Sed & de hac Venere sic Ouidius.

Si Venerẽ Cous nunquam pinxisset Apelles,
Mersa sub æquoreis illa lateret aquis.

Plato autem duas posuit Veneres: alteram cœlestem, quæ sanctos excitat amores: alterã terrestrem, quæ ad impudicitiam impellit.

Prio-

Priorem οὐρανίαν & ἀποστροφίαν Græci nominabant, quòd diuina prorſus eſſet, & ab impijs amoribus iniuſtiſq; deſiderijs humanum genus auertere crederetur: & Romani Verticordiam, quòd ipſa corda Romanarum mulierum quodam tempore in libidinem impotentius irruentium ad pudicitiam conuerterit. vnde Ouid. 4. Faſtor.

Roma pudicitia proauorum tempore lapſa eſt,
Cumæam veteres conſuluiſtis anum.
Tēpla iubet fieri Veneri: quibus ordine factis,
Inde Venus verſo nomine corda tenet.

Herodot. ſcribit templū Veneris Vraniæ inter cætera huius Deæ fana vetuſtiſsimū à Scytis direptum fuiſſe, deamq; ob id iratā θηλίαν morbum immiſiſſe. Pauſanias refert Aſsyrios primos omnium Vraniæ diuinos honores obtuliſſe, deinde Paphios, Phœnices & Cytherios, poſtea Ægæum auctorem quoque fuiſſe Athenienſibus, vt etiam Vraniæ ſacra facerent. Putabat enim ex deæ indignatione fieri, quòd liberos non haberet. Addit putare nonnullos Porphyrionem, qui ante Actæū regnauit, Vraniæ phanū extruxiſſe. Feruñt ſimulachrū Veneris Vraniæ, quod apud Heleos in ipſius tēplo

fuit, ita sculptum fuisse, vt pede altero testudinem premeret, significante hoc symbolo nuptas domi manere debere. Porrò quam Apostrophiam vocari diximus, Pausanias in Atticis Epistraphiam appellat. Altera autẽ Terrestris Venus, innumeris cognominibus appellata est. Nam quòd obscœnis amoribus præesse putaretur, nũc πορνὴ, *nũc* ἑταῖρα, *id est meretricea, nunc* πάνδημος *nuncupata est, quòd ad eius templum in veteri Athenienfium foro constructum, vniuersus populus cõflueret. vel quòd ei Solon ex prostitutarum capturis ædem erexerit, in qua meretrices collocauit, vt iuuenes effuso illic egestoq́; libidinis impetu, alienis vxoribus insidiari desisterent. Hæc quoq; Murtia dicta est, quòd homines murcidos, id est, inertes ac desidiosos efficiat, vt in Alexandro Paride liquidò apparuisse omnes tradunt historiæ. Plinius & Plutarchus auctores sunt, quam modò Murtiam Venerem dicimus, olim Myrteam vocatam fuisse. Nam myrtus, q̃ odorifera sit, & Venus odoribus vnguentisq́; delectetur, huic Deæ cõsecrata erat. Sunt qui scribant metas, à veteribus, Murtias appellatas. Hæc Libitina quoq; dicta*

docta est à libendo, sicut libido & libidinosus, vt testis est M. Varro. Plutarchus in Vitis: Instituit, inquit, Numa Pompilius Libitinã coli, quæ Dea est inspectrix eorum, quæ mortuis iusta persoluuntur, siue Proserpinã eam, siue Venerem credimus. Sic igitur eadem Dea principium ac finem vitæ inferre credita est. Vnde etiam Epithymbia appellata est, ad cuius statuam, quæ Delphis erat, in parẽtationibus & libationibus manes elicere atq; euocare moris erat. Phurnutus meminit & Veneris παναιτίας *quam ita appellatam dicit non quod eius vis & potentia solum in Cælo & terra cernatur, vt dictum est, sed etiam in mari. Herodotus in primo scribit legem Babiloniis fuisse, vt omnes mulieres indigenæ semel in vita ad Veneris templum cum externis hominibus consuetudinem haberent, hospitemq; illum, qui pecuniam in sinum mulieris inyciebat, dicere oportuisse: Tanti ego tibi Deam Mylittam imploro: Mylittã enim Assyrios Venerem appellasse. & in eod. libro: Assyrij, inquit, Venerem Mylittam vocant, Arabes eandem Alittam appellant, Persæ Metram. Dicta est præterea Acidalia, vel quia*

miseris amãtibus plurimos angores immittit: vel ab Acidalio fonte Bœotiæ, in quo se Gratiæ lauabant, quæ ipsi sacræ erant. Virgi. De Cupidine loquens:

— At memor ille — Matris Acidaliæ. — Fuit & Melanis, id est, Nigra nũcupata, quòd ipsa tenebras amet, hominesq́; noctu sæpius coëant: & Genetyllis, vt Aristophanis interpres ait, quòd genituræ præsit, qua ratione & latinè Genitricem dictã crediderim. Seruius ad illud 2. Georg.

Non aliam ob caussam Baccho caper, —

ait Genetrici Veneri, id est, Romanæ de victimis sacrificari. Huic Cæsar templum Romæ dicauit, ipsiusq́; simulachrum ab Archesilao inchoatum tantùm, nõ absolutum, ob festinationem dedicandi in foro suo posuit. Dicta est & Græcis Nympha, id est, Sponsa. Huic Theseus, Cùm Helenam vxorem duxisset, ædem ædificasse dicitur. Sed & Venerem Iunoniam olim cultam fuisse, cui matronæ pro filiarum nuptijs sacra facere consueuerãt, Pausanias in Laconicis auctor est. Diodorus Siculus refert Heliopolitas venerẽ ex antiquo nomine Auream appellasse, agrumq́; esse propè Memphim

τῆς χρυσῆς ἀφροδίτης. i. *Aureæ Veneris, cuius Deæ frequens apud poetas est mentio. Virgil. in 10.*

——— At non venus Aurea contra
Pauca refert. —— *Fortaßis hoc cognomine dicta est, quod formosa præ alijs fuerit, in qua significatione Aureus sæpè vsurpatur.*

——— Aulæis iam se regina superbis
Aurea composuit sponda, mediamq́; locauit.

De hac, vide in prouerb. apud Erasmũ, Fictilis homo: vel quòd amor auro maximè concilietur. vt apud Ouidium.

Aurea nunc verè sunt secula, plurimus auro
Venit honos, auro conciliatur amor.

Colebatur & apud Lacedæmonios Venus cognomento, Morphò, fortaßis ita dicta ἀπὸ τῆς μορφῆς, id est, à forma. Huius simulachro Tyndarus Pedicas imposuit, non quòd Venerem vinxerit, vt Deæ in filias opprobria vlcisceretur, quod nonnulli putauerunt: sed vt per illas denotaret, quàm firma esse fide erga viros suos vxores oporteat, quámque deceat illas domi manere, & maritorum dicto audientes esse. Cælius autor est & à pulchris clunibus eam Callipygon dictam esse.

Nam

Nam cum duæ quædam visendæ pulcritudinis puellæ, de natium præstantia diu contendissent, tandemq; placuisset rem adulescentis cuiusdam arbitrio permitti, & ille, vt raq; diligenter inspecta, natu maiori palmam addixisset, eamq; coniugio sibi copulasset: occasionem Syracusanis præbuerunt, vt ab hac natium altercatione Veneri Callypigæ templum construerent. Vsque adeò leuibus de caussis antiquitas superstitiosa dijs sacras ædes ædificabat.

Pausanias meminit & Veneris Ambologeræ quasi dicas, senectutem retardantis. Huic simulachrum ex oraculo dedicatum fuisse tradit. Erat & apud Lacedæmonios Venus Armata, id est, ἐνόπλιος, *seu* ὁπλισμένη, *cui cognómen hoc ei tributum est ideò, quòd Spartanæ mulieres sumtis armis Messeniorũ impetũ non solum sustinuissent, sed etiam eos in fugam vertissent. Extat pulcherrimũ de hac Venere apud Græcos Epigrãma, quod latinũ sic fecit Ausonius.*

Armatam vidit Venerẽ Lacedæmone Pallas,
Nunc certemus ait, iudice vel Paride.
Cui Venus, Armatam tu me temeraria tẽnis,
Quæ, quo te vici tempore, nuda fui?

Mantinenses quoque Venerẽ Symmachiam hono-

honorificentißimè coluerunt, quòd ipsis vnà cũ Romanis ad Actium contra Antoniũ pugnantibus opem tulisset. Legimus & Venerem ἔφιππον, id est, Equestrem ab Aenea filio nominatam, quòd ipse longa diuturnaq; nauigatione fessus tandem equum conscenderit, matremq; huiusmodi effigie & ipse coluerit, & ab alijs coli instituerit. Plutarchus tradit Theseum cum in Cretam nauigaret eam à Minotauro liberaturus, & Delphinio Apollini pro sua suorumq; salute supplicasset: responsum à Deo accepisse, vt Venerem sibi ducem itineris adsumeret: cumq; ad mare sacrificaret, apparuisse ei Venerem in caprum mutatam, eamq; ob caussam Deam Epitragiam fuisse nominatã. Alij quòd hirco placanda esset, sic dictam autumant. Strabo scribit in vndecimo, in vrbe Phanagoria insigne fuisse Veneris Apaturiæ templum. Fortaßis ab ἀπατάω, quod decipere significat, ita cognominata est. Proprium enim amatorum est sibi inuicem verba dare. Alij ad hanc fabulam referunt. Nam cum gygantes quodam tempore vellent eam interimere, dicitur in latebris tam diu delituisse, donec Herculis auxilio sigillatim omnes interfecißet.

Dixi-

Diximus superius & Mineruã hoc cognomine dictam fuisse. De appellatione autem Veneris ἀνοσίας sic Aristophanis interpres. Cùm Lais meretrix insignis in Thessaliam profecta, ob formæ elegantiam ac venustatem, ab adulescẽtibus Thessalis sic adamaretur, vt eius vestibulum etiam vino aspergerent: Thessalæ mulieres inuidia motæ eam in Veneris templo, dum sacra fierent, quæ viris adire nequaquàm fas erat, cõfoderũt. Propter quod facinus Thessaliam pestis inuasit, nec prius cessauit, quàm Veneris ἀνοσίας templũ condidissent. Videtur autem nomẽ hoc sortita, quòd mulieres impiã cædem in ipsius templo patrassent. Pausanias auctor est, Hypermnestrã cum sola Danai patris imperium executa non fuisset, & pater eã ad Lycæi forum citasset absolutam ab Argiuis, Venerẽ Nicophoron dicasse. Fuit & à Romanis Victrix appellata. Refert idem Veneris Catascopiæ templum fuisse intra eam stadij partem, in qua Hippolytus se exercebat, & vnde Phædra Hippolytum spectare consueuerat. κατασκοπεῖν enim contemplari sonat. Legitur apud eundem Hermionios Pontiam & Limeniam Venerem, id est, Marinam & Opportunam

tunam coluiſſe, virgineſq́; huic antè nuptias, & ſi qua vidua rurſus ad maritũ accederet, ſacra feciſſe. Sic dicta fuit, quòd ad maris portũ ædem haberet. Nam & Pelagia quoque ex eadem cauſſa vocata eſt. Scriptum eſt apud Lactantium Venerem cognomento Caluam in religionis cultum tunc apud Romanos veniſſe, cum vrbe à Gallis Senonibus capta, ciuibúſque in Capitolio obſeſſis ad tantum rerum omniũ penuriam ventum eſſet, vt ex mulierũ capillis tormenta facere oporteret. Suidas ſcribit mulieres Romanas, cùm peſtilenti prurigine laborarent, abraſiſq́; crinibus inutiles eſſent pectines, Veneri ſupplicaſſe, vt comam eis reſtitueret. quod quia feciſſet, mulieres Deæ ſimulacrum pectinem tenentis erexiſſe. Porrò quòd diximus ex mulierum capillis olim tormenta Romæ cõfecta, ſimilitudinem magnã habet cũ his, quæ Plutarchus, Pauſanias, & Iulius Capitolinus tradiderunt. quorũ primus, in eo libro quẽ de fœnore cõpoſuit, ſcriptũ reliquit Carthagineſes mulieres ſibi quãdoque ſecuiſſe capillos implicandis funibus ad machinarum in bello vſum. alter hiſtoriam quandam de fune ex capillis mulierum concinnato rati protrahẽdæ

com-

commemorat. tertius verò refert tanta fide Aquilienses pro Senatu contrà Maximinum fuisse, vt neruorum penuria, funes de mulierũ capillis, excutiendis sagittis necterẽt. Erat & Romæ Venus Cluacina, à cluendo, i. pugnando sic dicta, cuius simulacrum positum fuit eo in loco, vbi pax inter Sabinos & Romanos, cùm propter raptas Sabinas pugnarent, facta est. Aliqui putauerunt Cloacinam eandem esse cum hac Venere. quæ quidem Cloacina à Tatio rege consecrata est. Et quia in cloaca reperta fuit, neque cuius esset effigies compertum erat, hanc Rex à loco Cloacinam appellauit. Cicero in libris de Natur. Deo. auctor est multas Veneres fuiße, vocatq́; quartam Astarten, quæ Syria fuit, Adonidiq́; nupsit: & tertiam Dionæã, quæ ex Ioue & Dione nata est. Hæc autem est, cuius maritus fuit Vulcanus. Sed poetę sæpe confundunt, vnam tantum Venerẽ ponentes. Virgilius.

Sacra Dionææ matri, diuisq́; ferebam.

& Claudianus.

Fraude Dionæa riguos Proserpina saltus
(Sic Parcæ voluêre) petit.

Dicitur interdum & Dione matris suæ nomine,

ne, vt apud Ouidium:

Hippolyte infelix velles coluisse Dionem.

Vocata est & Dexicreontis, à Dexicreonte circulatore, qui Samias mulieres luxu petulãtiaq; perditas sacris quibusdã piacularibus expiauit: vel potius à Dexicreonte nauclero, qui cum Veneris iussu aquam tantum in nauim imposuisset, & ex ea mercatoribus nautísque sitientibus distracta diues factus esset: Veneri statuam grati animi indicem posuit, quam à suo nomine Dexicreontem appellauit. Harpalus quoque Macedoniæ Rex, cum Pythionicẽ quandam insigni forma virginem deperisset, in ipsius gratiam Veneri sumtuosissimum templum erexit, quam ex amata nomine Pythionicen nuncupauit. Cypria verò nominata est, à Cypro insula decantatissima, vbi præcipuè colebatur, vel ἀπὸ τοῦ κυεῖν, à pariẽdo. reddit enim grauidas Venus & parere facit. Macrobius scribit in ea insula fuisse Veneris barbatum signum. Nam quòd viri nascantur, Veneris munus est. Lactantius libro primo scriptum reliquit Venerem in Cypro primam omnium artem Meretriciam instituisse, mulieribusq; suasisse, vt corpore quæstum facerẽt,

ne sola

ne sola videretur impudica. Iustinus quoque auctor est, Cyprias virgines statutis diebus ad littus maris ire solitas, dotalem pecuniam ex corporis prostitutione quæsituras. Boccatius Cyprum postea Paphon, à Papho Pygmalionis filio, qui insulæ imperauit, appellatam fuisse dicit. Virgilius Paphi subinde meminit, eamque Veneri attribuit, vt in prim. Aene.

Ipsa Paphum sublimis adit, sedesque reuisit
Læta suas. — & in decimo:
Est Amathus, est celsa mihi Paphos, atque Cythera
Idaliaque domus.

vbi notabis & ab Amatho seu Amathunte Cypri ciuitate, Amathusiam dici. Phurnutus Paphiæ cognomen ei tributum autumat, ἀπὸ τοῦ ἀποφίσκειν, *id est, à decipiendo. Siquidem amasiorum proprium est inuicem fallere. Cognominata fuit Cytheræa,* παρὰ τὸ κυθεῖν τοὺς ἔρωτας, *id est, à gignendis amoribus. De Cytheræa sic Hesichius.* κυθήρεια οὐχ ὅτι προσέκυρσε κυθήροις, ἀλλ' ὅτι κευθόμενον ἔχει ἐν ἑαυτῇ τὸν πάσης ἐρωτικῆς φιλίας διηρτημένον κεστὸν ἱμάντα, *id est, non quòd* κυθήροις *id est, populum tribus Pandioniæ apud Athenienses nacta fuerit: sed quòd occultatum habeat*

beat in sese omnibus amoribus exornatum cestum, seu cingulum. Thurnutus scribit ab impregnationibus, quæ concubitum sequũtur, & quas Græci κυήσεις vocant, eam Cytheræam denominatam. aut ἀπὸ τοῦ κατευθύνειν, id est, ab immittendis cupiditatibus venereis. Alij à Cytheris insula illi sacra Cytheræam nuncupatam volunt. Virgil.

Hunc ego sopitum somno super alta Cythera,
Aut super Idalium sacrata sede recondam.

vbi notãdum & ab Idalio seu mõte seu nemore in Cypro Venerem Idaliam cognominatam, sicut ab Eryce mõte excelso Siciliæ Erycinam, vbi delubrum ei filius Æneas condidit, vt in 5. Æneid.

Tunc vicina astris Erycino in vertice sedes
Fundatur Veneri Idaliæ.

Strabo scribit, olim in Eryce Veneris templũ singulari veneratione cultum, magnoq́; mulierum Deæ ministerio dicatarum numero nobilitatum. Item & Romæ fuisse huius Deæ templum, quod Veneris Erycinæ dicebant, cui insignis adiacebat porticus. Hoc templum ferunt à Fabio quidem Dictatore votum, sed à L. Portio dicatum. Sunt qui Erycinã velint nõ à

monte dictam, sed ab Eryce Butæ, seu, vt alij dicũt, Neptuni & Veneris filio, qui patre mortuo, matri in Drepano Siciliæ promontorio tẽplum ædificauit, Erycinamq; à suo nomine appellauit. Meretrices autem Romæ Venerem Erycinam colebant. Ouid. 4. Fastor.

Nomina vulgares Veneris celebrate puellæ,
Multa professarum quæstibus apta Venus.

Imò & matronæ mense Augusto ad imitationem Ægyptiorum pudenda huic cum pompa sacrorum deferebant: & quanquam hoc solẽne meretricum erat, nulli tamen nisi castæ mulieri permittebatur sacrum hoc in sinu Veneris deponere. Traditur Q. Fabium Maximum Syracusis expugnatis ex monitu carminis Sybillini, Deam hanc transtulisse, & apud Collinã portam templum ei consecrasse. Ouid.

Templa frequentari Collinæ proxima portæ
Nunc decet. ——— *solitosq;, qui cũ imperio in Siciliam proficiscebantur, in exoletorum mollitiem se propemodùm transmutare quòd istoc pacto crederent aduentum suum Deæ iucundiorem futurum. Refert Pausanias Gnidios præ cæteris Venerem maximè coluisse, ibique illius Deæ templa hæc fuisse: Vnum vetustius*

tustius Doritidis, alterum Acreæ, recentissimum Gnidiæ Veneris: ipsámque à prospera nauigatione Euploeam à Gnidijs appellatam fuisse. Scribit Plinius in 36. Praxitelem fecisse Venerem, quæ emta à Gnidijs sic eorum vrbeculam illustrauit, vt multi, illius tantùm videndæ gratia Gnidum venerint. Quin & Regem Nicomedem simulachri pulchritudine captum promisisse Gnidijs, si vendere vellent, omne æs alienum ciuitatis, quod admodum grande fuerat, se dissoluturum: sed Gnidios vẽdere noluisse. Ferunt Phrynem illam decantatissimam meretricem adeò excellentis formæ fuisse, vt & Praxiteles & Apelles suas Veneres ab illa nuda formauerint. De Venere Gnidia sic è Græco Ausonius:

Vera Venus fictã cum vidit Cypria, dixit,
Vidisti nudam me puto Praxiteles.
Nõ vidi, nec fas, sed ferro opus omne polimus,
Ferrum Gradiui Martis in arbitrio.
Qualẽ igitur domino scierãt placuisse Cytheren
Talia fecerunt ferrea cœla Deam.

Porrò aliqui Gnidiam per G, alij per C Cnidiam scribunt. Nuncupata est præterea ab Ægyptijs Elephantina à loco eiusdẽ regionis,

vbi simulacrum ex ebore sculptum habuit: & Colias dicta est, à Coliade promontorio Atticæ: vel ab adolescente quodam Attico, qui Veneris auxilio à prædonibus ereptus, à colis, id est, mẽbris vinculo solutis, Venerem Coliadem nominauit, eiq́ templum dicauit. Alij volunt Coliada locum fuisse, sic dictum, quòd humanorũ membrorum effigiem representaret, eiusq́ incolas Venerem præcipuè coluisse. Addit Pausanias Venerẽ de loco, qui dicitur Horti, Hortẽsem cognominatam, hoc est, vt ipse loquitur, ἐν κήποις ἀφροδίτην, *eiusq́ apud scriptores frequentem mentionẽ fieri, sed sibi huius cognominis rationem non constare. Hanc Romani Hortulanam, seu Hortensem vocârunt, quod hortorum curam in huius esse custodia crederent. Fuit & Exopolis nuncupata, quòd extra oppidum Alcamenes Phidiæ discipulus ei statuam erexisset. Idem Pausanias tradit Venerem Sicyoniam apud Sicyonios coli, templumq́ eius duabus tantùm mulieribus ingredi fas fuisse: quarum altera quidem Deæ ipsius antistes erat, viri per omnem ætatem expers: altera verò & ipsa virgo, sed quæ à ministerij officio Lutrophora dicebatur. In huius Deæ tẽ-*

plo

plo cernebatur effigies quæ ex ebore & auro elaborata: quæ in altera quidem manu papauera, in altera verò malum tenebat: summóque capitis vertice poculum gestabat. Marcus autem Varro meminit & Veneris Murtetæ, quā à Murteto loco, vbi erat figlina, sic ait appellatam. Seruius ad hunc locum Virgil.

Hunc Fauno, & Nymphâ genitum Laurente Marica,

dicit nonnullos per Maricam, Venerem intelligere: licet ipsa vulgò habita sit Paludis Minturnensis dea. Fuit & Migonitis appellata, à Migonio loco, vbi templū habuit. Hanc Cōiugalē vertit Amaseus ex Pausania: & Ascræa, ab Ascra oppido. Huic ædes fuit in metropoli Trœzene, quā Halicarnassenses extruxerūt.

DE VESTA.

Caput Quintum.



ESTAM eandem esse cum terra, omnes ferè consentiunt. Ouidius in sexto Fastorum:

Vesta eadem & terra est.

——— & eodem libro:

——— Et Tellus, Vestaq́ numē idē est.

quod à fabula fluxisse volunt. Ferũt enim Saturnum Vestæ & Vranij F. vt speciosis nominibus originem suam amplificaret, patrẽ Cælum, & matrem Terram vocasse: ex eoq́; tempore Vestam pro Terra habitam esse. Ouidius verò Vestam, quam pro terra accipi dicit, Saturni filiam non matrem facit his versibus.

Ex Ope Iunonẽ memorant, Cereremq́; creatas
Semine Saturni, tertia Vesta fuit.

Boccatius scribit per priorem Vestam designari terram: per alteram, quæ virgo fuit, sacrũ & perpetuum ignem. Sed Ouidius secundam & pro terra & pro igne accipit. Dicta aũt est Latinè Vesta, vel à vestiendo, quòd terra varijs herbis floribusq́; vestita sit: vel à vi stãdo, quòd terra nullo nitatur fulcimento, sed põderibus suis librata in aëre pendeat. Ouid. in Fastis.

Stat vi terra sua, vi stando Vesta vocatur.

vel à Græca voce ἑστία sublata ι litera, et adspiratione in v consonantem commutata. Hinc dicit Ouidius:

Caussaq́; pars Graij nominis esse potest.

Nam integro nomine græco si vteremur, Hestiam non Vestã diceremus. Significat aũt Hestia vel focum vel domũ. Vnde Ouid.

Nec

Nec tu aliud Vestã quã viuã intellige flãmã.
& veteres Græci auctores sunt domos Vestã ædificasse primam, indeq́; eam sic cognominatam esse. Nam ἕσασθαι, *unde vocẽ deflectũt, idem esse quod* ἱδρύσασθαι. *Alij malũt* ἑστίαν *dictam eße,* παρὰ τὸ ἧσθαι, *quod eius simulachra sedentis habitu fingerentur: vel quasi* οὐσίαν, *quòd ex terræ visceribus opes eruantur. Phurnutus de Vesta loquẽs,* ταύτην μὲν *inquit,* διὰ τὸ ἑστάναι διὰ πάντων, ἑστίαν προσηγόρευσαν οἱ παλαιοί. ἢ διὰ τὸ ἐπ᾽ αὐτῆς ὡσανεὶ ἐπὶ θεμελίου τὸν ὅλον ἑστάναι κόσμον. *i.* ἑστίαν *veteres dixerũt, ꝙ stet toto cõserta: aut ꝙ ipsi innitatur tãquã fundamẽto cuidã uniuers⁹ mũd⁹. Cũ aũt Vesta dicatur ignis & sit virgo, ex vtraq́; causa virgines sunt eius ministerio optima ratione cõstitutæ. Nã virgini deæ, virgines ministræ rectißimè cõueniebãt: & cùm ignis natura sua sterilis sit, nec ex se quidquam gignat: non decebat deã alias habere ministras, quàm infœcundas, cuiusmodi sunt virgines.*
Quod & tangit Ouidius his versibus:

Iure igitur virgo est, que semina nulla remittit
Nec capit, & comites virginitatis amat.

Porrò sacrum ignem tam religiosè adseruare

necesse erat, vt si casu extingui eum contigisset (vt contigit Mithridatici, Ciuilisq́; belli temporibus) minimè ex altero igni sacras lucernas accēdere fas esset: verum nouū ex radijs solaribus, arida apposita materia, elicere oporteret. Addunt aliqui ob extinctum ignem, Vestales etiam verberibus à Pontificibus affici solitas. Nec mirum: Quippe Romani sacri ignis exstinctionem, interitum vrbis præsagire interpretabantur. Hic autem ignis mense Martio quotannis renouabatur. Ouid.

Adde, quòd arcana fieri nouus ignis in æde
Dicitur, & vires flamma refecta capit.

Diodorus auctor est, morē hunc seruandi ignē perpetuum, ab Ægyptijs ad alias gentes manauisse. Virgilius videtur indicare Romanos ab Ænæa sacrum ignem accepisse.

Sic ait, & manibus vittas, Vestamq́; potentē,
Æternumq́; adytis effert penetralibus ignem.
& alio loco.
Sacra, suosq́; tibi commendat Troia Penates.

Nā Vestam de numero Penatium fuisse autor est Macrobius. Hæc autem de sacro igni cōmemorare libuit, quoniam huic Deæ nulla ferè cognomina tributa sunt.

DE CERERIS COgnominibus.

Caput Sextum.



CRIBVNT Cicero libro de Natur. Deo. sequundo, & M. Varro lib. de Lingua Latina 4. dictam Cererem, à gerendis fructibus, q. Gererem, mutata prima litera. Alij deriuant à cereo antiquo verbo, quod idem significare volunt, quod creo. Græcè dicitur δημήτης, *quasi* γημήτηρ, *mutata similiter prima litera: vel quasi* δὶδοῦσα μήτηρ. *Phurnutus, quòd instar matris pariat & enutriat omnia,* δήμητραν *nominatam vult: aut quòd in terra* δήειν, *id est, inuenire possimus, quæ exquirimus. Quoniã aũt fruges inuenisse dicitur, à Græcis appellata est Simalis, id est, Pistrix: &* σιτὼ *.i. Frumentaria, habuitq; apud Siculos eo nomine statuã, quia primum in Sicilia serendi rationem monstrauit. Hinc est, quòd nonnulli Cererem eãdem esse cum Terra docuerunt. Vnde est illud Orphei in hymnis.* γῆ μήτηρ πάντων, δημήτηρ πλουτοδότειρα. *Fortaßis ex hac caussa Carpophoros, à profe-*

proferẽdis frugibus: & Anisidora, id est, dona perficiẽs: et Chthonia, id est, Terrestris, seu Terrena vocata est. quã quàm Pausanias auctor est eã cognomen hoc sortitam à Chthonia quadã puella Argiua, quæ post Ambustum patrem à Dea in Hermionem oppidum ducta, ibi templum ei consecrauit, Chthoniamq; à nomine suo appellauit. Festum quod in Cereris honorẽ ab Hermionensibus eximia veneratione quondam celebrabatur, Chthonium nuncupabatur. quod ideò visum est mihi commemorare, quoniam singulis annis in ea celebritate boues visendæ magnitudinis & ferociæ, Deæ sacerdotem, infirmam ac vetulam mulierculã spontè sequebantur, velut vltrò se offerentes immolationi. Cæterum quia seges cum maturuit, flaua est, ideò Cererem vocauit Pindarus φοινικόπεζαν, id est, flauos pedes habentem. Vnde & Latinis Flaua sepè dicitur. Ouid.

Flaua Ceres tenues spicis redimita capillos.

& Virgilius Rubicondam eam appellat:

At Rubiconda Ceres medio succiditur æstu.

Hanc Chlòem quidam esse putant, cuius cognominis rationem Pausanias à Sacerdotibus petendam esse dicit. Amasęus vertit Pubescẽtem

tem. Idem Pausanias in Meßenicis. Hagnes Core, inquit, id est, Casta puella, cognomen est Cereris: & in Corynthiacis scribit in finibus Hermionidis ædem esse Thermesiæ Cereris. Dicta est & λέσποινα, id est, Domina: quo nomine cohonestata est & filia eius Proserpina, vt apud Virgilium:

Hi Dominam Ditis thalamo deducere adorti.

De hac multa Pausanias in Arcadicis. Nominata præterea fuit ab inuenta filia, quã diu quæsitam, apud inferos tãdem inuenit, εὑςόπη, habuitq; hoc nomine sacellum iuxta Hercynã fluuium. Coluerunt & Phigalenses Cererem cognomento μελαίνην, id est, Nigram, quòd Proserpinæ raptu consternata pullam vestem induerit, atque cum hoc habitu in profundißimam speluncam sese abdiderit, ibíque diutißimè latitauerit.

Hinc Phigalenses simulachrum erexerũt Cereris in petra sedentis, capite equino, adnexis draconum & ferarum varijs imaginibus. Porrò cur Cererem capite equino formarint, adferunt & hanc caußam: quòd ipsa in equam mutata, ex congreßu quem habuit cum Neptuno, qui & ipse in equum se conuerterat,

Ario-

Arionē equum, & præterea puellā, cuius nomē à non initiatis enuntiari nefas putabant, pepe- rißet. Ferunt autem oblatum sibi à Neptuno vitium primum iniquißimo tulisse animo, de- inde ira paululum remissa in Ladone fluuio corpus lauisse, ex eaq́; caussa duobus cognomi- nibus à Thalpusijs Archadibus nuncupatam fuisse, nempè ἐρίννυν, ab illa animi indignatio- ne. Nam apud Arcades ἐριννύειν indignari sig- nificat: & λουσίαν, à corporis ablutione. Scribūt aliqui χαυύνην Cereris antiquum fuisse cogno- men, eiq́; in Oleni montis parte (quæ alterum erat Hippodromi latus) templum erectum fuis- se: itaque appellatam vel ἀπὸ τοῦ χαυνεῖν, id est, à vociferando: vel ἀπὸ τοῦ χαίνειν, quòd ibi terra hiatu facto currum Plutonis excepe- rit: vel à Chanyno viro Pisæo ab Eleis in- terfecto, ex cuius diuitijs exstructum sit tem- plum. Alij Chamynum hunc vocant, & ab eo Deam Chamynam. Erat & ad Nysæam (naua- lis cuiusdam nomen id fuit) sacellum Cereris μηλοφόρου, ab ouibus sic dictæ, quod cognomen pastores quidam ei indiderunt. Alij sic eam dictam volunt, quòd in ea regione primò pecu- aria exerceri cœpta est. Nonnulli μαλλοφόρον

eam

eam appellant, id eſt, Lanigeram, ab ouium prouentu. Caberia quoque nuncupata eſt, vel à Caberis ſacerdotibus, quorum ineuitabilem irã fuiſſe, cum Xerxis, tum Alexandri milites, cũ agrum Thebanum incendio vaſtarent, experti ſunt: vel à Caberis populis, ad quos veniſſe Dea dicitur: vel à Caberone ciuitate, vbi colebatur. Legifera verò, ſeu Græcè θεσμοφόρος, ἢ, θεσμοθέτης *cognominata eſt, quòd leges inueniſſe dicatur, quibus homines iuſtè viuere adſueſcerent. Virgilius,*

——— Mactat lectas de more bidẽtes.
Legiferæ Cereri. —— & Ouid. lib. 5. Metam.
Prima Ceres vnco terram dimouit aratro.
Prima dedit fruges, alimentaq́; mitia terris.
Prima dedit leges. Cereris ſunt omnia munus.

Seruius autẽ ſcribit Cererem leges idcircò inueniſſe creditam, quòd antè inuentum ab ea frumentum, homines paſſim vagarentur: quæ feritas rupta ſit, inuento frumento: propter quod ex diuiſione nata ſunt iura. Notandum hic obiter in honorem Cereris Theſmophoria feſta olim Athenis celebrari conſueta, in quibus mulieres Ægyptiorum more cibis abſtinebant, & humi iacebant. Diodorus multis locis ſcribit

ean-

eãdem fuisse apud Ægyptios Isidem, quæ fuit apud Græcos Ceres, legesq́ Isidis inuctum esse. Nonnulli quoque autores sunt apud Drymæam Phocidis vrbem, Iouis Thesmophori templũ fuisse. Nam & ipsum Iouẽ leges reperisse quodam loco refert Lactantius. Sed & à varijs locis, in quibus colebatur, varia cognomina habuit. Appellata enim est Ennæa, teste Mela, ab Enna monte. Ouid. autem dicit, Ennam fuisse oppidum Cereri sacrum:

Grata domus Cereri, multas ea poßidet vrbes,
In quibus est culto fertilis Enna solo.

ibiq́ Proserpinam à Plutone raptam fuisse: & Mysia, à Mysia regione, vel, vt alij volunt, à Mysio quodam Argiuo: vel ἀπὸ τοῦ μυσιᾷν, quod, autore Phurnuto, satiari significat. Huius festum septimo tantùm die finiebatur. Tertio autem die è templo se viri subducebant. quin & ex canibus quoque mares ex eo expellebantur. Postero die, peractis noctu à mulieribus sacrorum ritibus, reuertebantur viri, quos mulieres dicterijs exagitabant, & has vicißim viri. Ridiculum planè festum, cuiusmodi erant reliqua omnia miserorum Gentilium. Fuit & Stiritis dicta, à

Stiri Phocensium ciuitate: & Milesia, à Mileto vrbe, quæ Milesia, vt inquit Lactantius, multum sibi venerationis apud homines comparauit. Nam cùm Alexander Miletum expugnasset, atque diripere vrbem milites vellent, omnes repentè luminibus à Dea priuati sunt. & Mycalessia, à Mycalesso mari, iuxta quod templum habebat: vel à Mycalesso ciuitate Boetiæ secundum mare. Illud verò memoratu dignum, quod Mycalessiæ Cereris templum singulis noctibus ab Hercule aperiri, rursúsque claudi credebatur. Quin etiam fama erat, omnes fructus Autumno colligi solitos, si antè pedes Mycalessiæ Cereris depositi fuissent, toto anno integros permanere: & Zoetia, ab vrbe Zoetia, vbi templum habuit, quod adhuc ætate sua vidisse se Pausanias testatur, quanquam vrbs ipsa desolata esset: & Eleusina, ab Eleusine vna ex duodecim ciuitatibus terræ Atticæ, vbi, si Phurnuto credimus, hordeum primum inuentum est, & Eleusinæ Cereris extitit templum, & fanum mysticum, quod, auctore Strabone, Ictinus quidam apparauerat turbæ theatralis capacissimum. Boccatius scribit

scribit Triptolemum cùm adoleuisset, regnumq́. Cereris auxilio cõsequutus fuisset, in honorẽ patris Eleusii, quẽ Dea interfecerat, Eleusiũ oppidum condidisse, Cereriq́; sacra primũ instituisse, quæ Thesmophoria vocauit. Tradit Diodorus Erichtheum, qui postea, quòd Atheniẽsibus frumenti vsum ostẽdisset, Rex ab eis declaratus est, ceremonias ac mysteria Cereris Eleusinæ in terram Atticam attulisse: dixisse tamen Athenienses Deam præsentem frumẽtum eis indicasse, sacraq́; ipsius, quæ apud Ægyptios celebrabantur, tum Eleusine suscepta esse. Cæterùm Seruius scribit neq; Triptolemũ, neq; Erichtheum, vt Boccatius & Diodorus voluerũt, sed Celeũ ea tempestate Regẽ Thesmophoria instituisse, quòd à Cerere, quæ filiam per hæc loca quæsitum venerat, omne agriculturæ genus eductus fuerat. Ouidius tamen nõ Celeũ, sed filium eius Triptolemum, à Dea scientiam arandi accepisse auctor est, ita sub persona Cereris de Triptolemo loquentis scribens:

Iste quidem mortalis erit, sed primus arabit,
Et seret, & culta præmia tollet humo.

De mysterijs horum sacrorum, eorumq́; obscœnitatibus, multa Diuus Augustinus libro de

Ciuitat. Dei 7.capit. 8. Referunt nonnulli ab his ſacris ſceleratos voce preconis amoueri ſolitos, nec ea potuiſſe à mœſtis perfici: ideóque tempore Punici belli ſecũdi intermiſſa fuiſſe, quòd tum omnes matronæ mœrerent. Refert Suetonius Neronem póſt matris parricidium, his ſacris intereſſe auſum non fuiſſe, exagitãte eũ videlicet tam immanis ſceleris conſciẽtia. Sed ô veterum nimiam cæcitatem, qui cum ſacra ſceleratiſsima turpiſsimaq́ adgrederentur, ſceleratos tamen atque impuros homines ab ijs arcerẽt. Quin & aiunt hæc ſacra prodidiſſe ſummũ fuiſſe nephas ac piaculũ. Vnde Alcibiadẽ maximũ Athenis virũ, quòd ea retexiſſe inſimularetur, in exſiliũ abire coactum. Certè Pauſanias ſcribit omnia, quæ de Eleuſinæ Cereris ſacris dici poſſent, copioſè interpretaturum, niſi Ceres eum per ſomnum deterruiſſet. Nolebat ſcilicet improbus Dæmon tã fœdam atque abominandam turpitudinem, quæ in iſtis myſterijs patrabatur, in vulgus dimanare, ne miſeri mortales agnita tanta inſania tandem reſipiſcerent. Porrò hæc ſacra duplicia erant. Nempè Maiora, quibus nemo poterat initiari, niſi eſſet ciuis, Eumolpi

legibus hoc vetantibus: & Minora, ad quæ & extranei admittebantur. Vtrisque erāt proprij menses attributi: videlicet Iunius Maioribus, & Nouember minoribus. Inuenio & hanc Deam Pelasgidem vocatam, à Pelasgo Triopæ filio: & Pylagoram, quòd Pylagoræ, id est, legati, quos ciuitates Græciæ bis in anno ad cōsilium Amphyctionum mittebant, de maximis rebus consulturos, prius ἐν πύλαισ, id est, ante portas huic Deæ rem diuinam religiosissimè facere consueuissent. Pausanias in Arcadicis refert non procul à Tegea locum fuisse multis quercubus condensatum, in quo templum fuit Cereris cognomento ἐκ κορυθέων, id est, ex Corytheis, quam Galeatam Amaseus vertit. Idem scribit, proximum Homagirij fanum esse Panachææ Cereris: & apud lucum, Pyrææ nomine, templum fuisse Cereris προστασίας, quam aliqui Præsidem, Amaseus Præstitem vertit. Idem Pausanias obiter tantùm meminit Cydariæ & Prosymne Cereris.

FINIS LIBRI SECVNDI.

IVLIA-

IVLIANI AVRELII HAVRECHI, LESSIGNIENSIS, V. CL.

DE Cognominibus Deorum Gentilium

Liber Tertius.

DE IANI COGNOminibus.

Caput Primum.



ACTENVS de duodecim dijs Consentibus qui inter deos principatum obtinent, abundè dictum est. Restat nũc vt aliorum octo Selectorum cognomina pari diligentia recenseamus. Ianus igitur, vt ab hoc exordium sumamus, latinè dictus est à ianua, quemadmodum scribit Ouidius in 1. Fastorum.

Præsideo foribus Cœli cum mitibus Horis,
Et redit officio Iuppiter ipse meo.
Inde vocor Ianus. —— Alij tamen à Iano potius ianuam dictam volunt.

Nam eo regnante tantam in Latio sanctitatẽ, religionemq́; fuisse legimus, vt nemo magnopere curaret ædium suarum ianuas sera munire: ideóq; huic Deo domorum omnium introitus exitusq́; fuisse consecratos. quod & Apollini tributum fuisse ante diximus. Hinc fortaßis & à Romanis Custos dictus est. cuius templum ea parte vrbis fuisse, vbi nunc carcer visitur, Blondus auctor est. Sed & per eũ ad deos omnes patere accessum, precesq́; suppli cum per portas eius ad deos transmitti credebant. vnde primus omnium semper inuocabatur. Alijs magis placet Ianum ab hiando dictum, aspiratione remota, quoniam ipse est Chaos hians, vt ipsemet testatur apud Ouid.

Me Chaos antiqui (nã sum res prisca) vocabãt.

Cicero in libris de Natur. Deor. Ianum ab eundo deriuat, ita scribens: Cùm in omnibus rebus vim haberent maximam, prima & extrema: Principem in sacrificando Ianum esse voluerunt, quod nomen ab eũdo est deductũ. Sic igitur Ianus, quasi Eanus, dictus est. Ianũ enim pro Cælo, & mundo, & Sole vsurpabãt, cuius proprium est semper ire, atq; in se perpetuò reuolui. Vnde sic eum effingebant, vt in dexte-

dextera manu τ literã haberet, & in ſiniſtra ξ. ε. vt ſignificarent Ianum non eſſe aliud, quàm annũ, ipſumq́; trecentos ſexaginta quinque dies continere. Nam τ trecentos denotat, & ξ ſexaginta, & ε quinque. Ex hac re putauit etiam quidam Ianum vocatum, quaſi Æonum, ἀπὸ τοῦ αἰῶνος. Macrobius auctor eſt, pleroſque credidiſſe Ianum idem numen eſſe, cum Apolline & Diana: Dianamq́; dictam quaſi Ianam, per appoſitionem D literæ, quæ ſæpenumero ornatus tantùm gratia adijcitur. Hic quòd antiquiſſimus eſſet, & veluti parẽs, ſeu, ſator deorum omnium, plurimis etiã cognominibus cohoneſtatus eſt. Appellatur enim Dieſpiter, quaſi diei pater, licet & hoc nomine Iupiter intelligatur: & Matutinus pater, quòd habitus ſit idem cum Sole:

Matutine pater, ſeu Iane libentius audis.

& Propertio Vertumnus, à vertendis cœlorum cardinibus, rebuſq́; omnibus:

Si mihi, quòd formas æquè vertebar in omnes
Nomen ab euentu patria lingua dedit.

Et Tibullus:

Talis in extremo felix Vertumnus Olympo,
Mille habeat formas, mille decenter habet.

& Ouidius.

Quidquid vbique vides cœlum, mare, nubi- (la, terram,
Omnia sunt nostra clausa patentq; manu.
Me penes est vnum vasti custodia mundi,
Et ius vertendi cardinis omne meum est.

Addit Ioannes Annius Hetruscos lingua patria vocasse Ianum Vadimonẽ. & Ægyptios, Proteũ: easq; voces eis idem significasse, quod Latinis Ianũ, seu, Vertumnũ. Oenotrius aũt dictus est, vel quòd in Oenotria ante Saturnũ regnauerit, vel quòd primus in Latio vinum ad religionis & sacrificiorũ vsum inuenerit, quod etiam Iani interpretatio denotat. Nam eodem Annio auctore, Iain Hæbræorũ lingua vinum significat. M. Cato in originibus suis, dicit eum quoq; Vaticanum nuncupatũ fuisse, & ab eo Vaticanam regionem, quæ post Hetruria dicta est. & Vaticanam quidem vocatam esse, quasi vagicanã: quòd ibi Ianus quasi in cunis natã, primumq́; vagientẽ Italiã exceperit. Pingebatur Geminus, seu, Bifrons, quòd Rex fuerit prudẽtissimus, videritq́; procul ventura, & præterita respexerit: vel quòd Sol, pro quo Ianũ poni diximus, quotidiè oriatur & occidat: vel quod Superũm & Inferũ Iani-

Ianitor sit. Ouid. in 1. Fast. caussam Bifrontis Iani his describit versibus.

Oĩs habet geminas hinc atq; hinc ianua frontes:
E quibus hæc populum spectat, at illa larẽ.
Vtq; sedens vester primi propè limina tecti
Ianitor, egressus, introitusq; videt:
Hic ego perspicio cœlestis ianitor aulæ,
Eôas partes, Hesperiasq; simul.
Ora vides Hecates in treis vergentia partes,
Seruet vt internas compita secta vias.
Et mihi, ne flexu ceruicis tempora perdam,
Cernere non moto corpore bina licet.

Plutarchus scribit Ianũ, ferũ illũ & siluestrẽ cultũ, in vrbanũ ciuilemq; cõmutasse, ac vsum vinearũ & falcis inuenisse, ideoq; Bifrontẽ pictũ esse. Hic quoq; dicitur coronã, rates, & nauiũ vsum, nummorũq; æneorumq; signa prim⁹ inuenisse. Sũt & quibus placet Ianũ à Tatio et Romulo tũc Bifrontẽ effictũ fuisse, cũ Romani Sabinos in ius ciuitatis adsciuißẽt, hac quippe imagine duorum illos populorum in vnũ coitionem representaße. Persius.

O Iane, à tergo quẽ nulla ciconia pinsit. Et Oui.
Iane Biceps anni tacitè labentis imago,
Solus de superis, qui tua terga vides.

Effingebãt eũ & Quadri frontem, quòd quatuor mundi climata maiestate sua complecti crederetur. Addit Macrobius veteres in sacris inuocare solitos Ianum Patrem, quasi deorum Deum: & Iunonium, quasi mensium omniũ ingressum tenentem. Nam Kalendæ Iunoni consecratæ fuerunt: & Consiuium, à conserendo seu propagando genus humanum: & Quirinum, quasi bellorum potentem, à quiri, id est, hasta: quo nomine etiam postea Romulus vocatus est: & Patulcium, & Clusium, à patendo & claudendo. Templum enim eius bello patebat, & pace claudebatur. vnde Liuio belli pacisq́; Index dicitur. Ouidius:

Nomina ridebis, modò namq; Patulcius idẽ,
Et modò sacrifico Clusius ore vocor.

Cur autem bello apertæ, & pace clausæ essent Iani portæ, sic idem Ouidius:

Vt populo reditus pateant ad bella profecto,
Tota patet demta ianua nostra sera.
Pace fores obdo, ne quà discedere possit,
Cæsareoq́; diu numine clausus ero.

Illud autem de templo hoc memoratu dignũ, quòd post tempora Numæ Pompilij vsque ad imperium Traiani, bis tantum clausum est: semel

mel M. Attilio, & T. Manlio COSS. Deinde Augusto Cæsare post Antonij profligationẽ rerũ potiente. quod & indicat Virgil. his vers.

——— Diræ ferro & compagibus arctis
Claudentur belli portæ, furor impius intus
Sæua sedẽs super arma, & cẽtũ vinctus aënis
Post tergũ nodis, fremet horridus ore cruẽto.

Illud notandum nonnullos scripsisse, quẽ nos appellamus Noë, Gentiles Ianum vocasse.

DE SATVRNI COgnominibus.

Caput Secundum.

CICERO *libro de Natu. Deor. 2. scribit Saturnum sic appellatum, quòd saturaretur Annis, ideóque à poetis fingi natos ex se deuorare, eosq́; rursus reuomere solitum, quòd Saturnus tempus sit, à quo cuncta gignantur, absumanturq́;, & ex eo denuò renascantur. Alij Saturnum, à satu deducunt, vt Marcus Varro, quòd Italos surculorum insitiones, artemq́; colendorum agrorum primus docuerit. Vnde Vitisator Virgilio dicitur:*

Vitisator curua seruans sub imagine falcem.

Et ex

Et ex hac caussa nonnulli auctores sunt, eum à Romanis Sterculium vocatum fuisse. Primus enim ostendit ex stercoratione fœcunditatem agris comparari: ex qua re fortaßis regni eius tẽpora fœlicißima fuisse feruntur. Certè à poëtis hac de caussa sæpè Falcifer appellatur. Ouid. in pri. Fast.

Caußa ratis superest, Thuscũ rate venit ad am-(nem,
Ante pererrato Falcifer orbe Deus.

Alij Falcem ei attributam dicunt, quod tempus, pro quo eum capiunt, instar falcis omnia incîdat. Ouid. lib 15. Metamor.

Tempus edax rerum, tuq́; inuidiosa vetustas,
Omnia destruitis, viciataq́; dentibus æui
Paulatim lenta consumitis omnia morte.

Nõ desunt & qui Saturnũ deriuẽt ἀπὸ τῆς σάθης, id est, à membro virili, propter abscißa Cœlo patri pudenda. Vnde etiam Satyri appellati dicuntur. Sũt enim in libidinem valdè proni, illoti & proterui. Græcè dicitur κρόνος, q. χρόνος, quod tempus significat: vel, autore Platone, quasi κόρος, ὢν τοῦ νοῦ, id est quasi mẽtis satietas. Namque Platonici Saturnum accipiebant, pro cõtemplatione rerum sublimiorum, proq́; mentis puritate atque integritate.

Hinc

Hinc & Proclus referente Cœlio, dicit homines vixisse sub Saturno vitam καθαρὰν, καὶ ἄλυπον, καὶ ἀπαθῆ id est, puram, tristitiæq́; & perturbationum expertem. quod à Latinis non admodum dissonum est, qui aureum sub Saturno fuisse seculum memoriæ prodiderunt. Virgilius:

Aureaq́; vt perhibent, illo sub rege fuerunt
Secula, sic placida populos sub pace regebat.

Phurnutus autem mauult κρόνον, dictum, ἀπὸ τοῦ κραίνειν, id est, à commiscendo. Huic enim propter consuetudinē stupri cū Rhea sorore, quæ eadem cum terra est, habitum, omnium rerum generationem tribuebant. De Saturno plura Macrobius. Nam non est animus quidquam, quod ad argumentum nostrū non pertineat, inserere.

DE GENIO.

Caput Tertium.

SCribit Censorinus in lib. de Natali die Genium vocatum esse, vel quòd curet vt gignamur: vel quòd nobiscum vna gignatur: vel quod genitos suscipiat ac tueatur.

&

& sic à gignendo Genius dicetur. Genius, inquit Festus, Deus est, qui vim habet omniũ rerũ gignendarũ. & Aufustius, Genius est Deorum filius, & parens hominum. ex quo homines gignuntur. Propterea Genius meus vocatur qui me genuit. Quæsitum autem diu fuit ab eruditis, quisnam Deus esset Genius, tandemq́ inuentum est non simpliciter eum dici. Nam vnicuique rei suum esse Genium, qui ei præsideat. & singulis hominibus simul atq; nati sunt, duos Genios attribui, alterũ bonum, malũ alterũ. atq; ita Genij vocabulũ ex ijs esse, quæ à Græcis μέσα, à Latinis Media dicũtur. quod vel ex Bruti historia probari potest. Cùm enim ille quodã tẽpore solus (vt fit) ad lumẽ aliquid meditaretur, atra quædam atque horrenda imago sese oculis eius obtulit. quæ interrogata quænam esset, respõdit se malũ ipsius esse Genium. Christiani autem quos Gentiles Genios dixerunt, Angelos vocauerunt: similiterq́; singulis hominibus duos adsignauerũt, quorum alterum ad virtutem, ad nequitiam alterum impellere crediderunt. Assyrij quoque & Chaldæi duo colebant principia, quorum alterum vocabant bonum, alterum malum dæmo-

monem. Ille Iupiter erat, quem Horomaſdem vocabant: Hic Pluto, quem Arimanium nominabant. Quoniam autem ſtulta Gentilitas falsò ſibi perſuaſerat hominum natiuitati Genios præeſſe, nataléque aſtrum pro arbitratu ſuo gubernare, iuxta illud Horatij:

Seu Genius, natale, Deus, qui tẽperat aſtrum:

ſingulaſq́; vrbes & Romam potiſſimũ, ſuos habere Genios, in quorũ eſſent protectione: vnde in omnibus propè numiſmatibus hoc elogium ſcribebatur, GENIO Populi Romani: Ideo Prudentius poeta pijſſimus hanc dementiam multis redarguit verſibus, dicens animos tẽperare vitam hominũ, viroſq́; fuiſſe, qui Rempub. Romanorum gubernarint & auxerint, nõ Genios. Prudentij verſus ſic habent:

Sic hominis vitã ſibi tẽperat atque gubernat
Viuida mẽs quã tu ficto cõponere tentas (quã.
Mẽbrorũ Genio, qui nuſquam eſt, nec fuit vn-
& paulò poſt.
Romã dico viros, quos mẽtẽ credimus vrbis,
Nõ Geniũ; cuius fruſtrà ſimulatur imago.
Quãquã cur Geniũ Romæ mihi fingitis vnũ?
Cũ portis, domibus, Thermis, ſtabulis ſoleatis
Aſſignare ſuos Genios, perq́; omnia membra

Vrbis, perq; locos, Geniorũ millia multa (bra
Fingere, ne propria vacet angul⁹ vllus ab vm

Sed, vt, vnde digreßi sumus, redeamus: Genios nõnulli eosdem cum Laribus & Lemuribus esse voluerunt: & per Lares, bonos Genios: per Lemures autem, malos significari. Ab aliquibus Genius dicitur naturæ Deus, & ipsa Voluptas. Vnde Geniales ab antiquis appellabantur, qui ad curandam cuticulã prõptiores erant. Inde prouerbia: Indulgere Genio, &, Genium defraudare: pro eo quòd est voluptati operam dare, & contrà, parcè nimis ac duriter victitare. Fuerunt etiam qui aquã terram, ignem, aërem: item duodecim signa, & Solem, & Lunam Deos Genios facerent: & à gerendo, quòd multa gerere possent, primum Gerulos, deinde Genios appellatos fuisse putarent. Illud autem notandum est, veteres cum solenniter iurare volebant, per Genium Principis iurare consueuisse.

DE

DE PLVTONIS COgnominibus.

Caput Quartum.

GReci Plutonem à diuitijs, & ab eadẽ caussa Latini Ditem appellarunt. Ex abditis enim terræ, velut ex Plutonis regno, metalla omnia eruuntur, frugesq́ ac pecorum pascua nascuntur. Declarat hoc aliquantò significantius Cicero in 2. de Natura Deo. ita scribens. Terrena vis omnis atque natura Diti patri dedicata est, qui dictus est apud Græcos πλόυτωρ quia & recidunt omnia in terras, & oriuntur è terris. Ab hac aũt terrena vi dicũt eum nonnulli Tellumonem, Altorem & Runsorẽ nominatum Diodorus auctor est Plutonem Iasonis & Cereris fuisse filium, eumq́ primum ingentes pecunias ex agricultura coadceruasse, atque in vsus custodisse, hocq́ posteris occasionem dedisse, vt diuitiarum Deus habitus sit. Ditis subinde meminit Virgilius, vt hoc versu:

Noctes atq́ dies pater atri ianua Ditis. & hoc

Hi dominã Ditis thalamo deducere adorti.

& hoc:

Perq́

Perq́; domos Ditis vacuas, & inania regna.
Phurnutus verò vult Plutonem eundem esse cum aëre. Hinc & cum Clymenum dictum vult, ἀπὸ του κλύειν, quod sonare significat. Nihil enim aliud est vox, quam aër repercussus. Addit idem Diodorus hunc sepulcrorum funerumq́; vsum introduxisse, eámque caussam extitisse, vt vita defunctis dominari creditus sit. Scribunt alij in diuisione patrimonij, Ioui natu maximo Orientalem plagam, Neptuno maris Insulas, & Plutoni Occidentem secus inferum mare obtigisse. Hinc locum datum fabulæ, vt Iupiter Cœli, Neptunus maris, Pluto inferorum Rex habitus sit. Certè ab imperio, quod in mortuos exercere dictus est, Arbiter Vmbrarum: & Vragus, ab vrgendis defunctorum animabus, cognominatus est. Quin & Orcus ex simili caussa dictus est, auctore Festo: nisi magis placeat, ab ὅρκος, quod iuramentum designat, vocem deducere. Iurabant enim Dij per Stygiam paludem, à quo fluuius Orcus profluebat. Alij ab ἕρκος deriuant, quo septum significatur, sed tunc per aspirationem scriberetur. Vocatus quoq; est Quietalis, quòd quies ad mortuos maximè pertineat: aut potius

tius, quòd mors quies sit erumnarum omniũ: & Februus, à Februis sacris, per quæ manes placari credebantur. Hinc Februarius mensis dictus est, quod eo Dijs inferis parentaretur: & Summanus, q. summus Deorum Manium, cuius erat templum Romæ non procul à Circo Maximo, & sacellum in Capitolio. Cœpit coli temporibus Pyrrhi, quemadmodum his versibus ostendit Ouidius:

Reddita, quisquis is es, Sũmano tẽpla ferũtur,
Tunc cum Romanis Pyrrhe timẽdus eras.

Vbi notandum poetam addubitasse, quisnam Deus esset Summanus. Augustinus lib. 4. de Ciuit. Dei scriptum reliquit, Romanos ei nocturna fulmina tribuisse, sicut diurna Ioui. Cicero in libris de Diuinatione in fastigio tẽpli Iouis Opti. Max. Summani simulacrum positum fuisse scribit. Vocatus est & Iupiter Stygius à Virgil.

Sacra Ioui Stygio quæ ritè incœpta paraui.

vt libro 1. capite 2. diximus. Fingunt poetæ raptam ab hoc esse Proserpinam, ob quem raptum dictus est Pindaro ab auratis habenis Chrysenius. Dicitur & Græcè ἀγεσίλαος, quẽadmodum auctor est Lactantius, quod voca-

bulum deducitur παρὰ τὸ ἄγειν τοὺς λαούς, *id est, à ducẽdis populis.* ἄρχει γὰρ τῶν θανόντων, *Est enim mortuorum Imperator. Vnde Claudianus de eo.*

——— *O maxime noctis*
Arbiter, vmbrarũq; potens, cui nostra laborãt
Stamina, qui finem cunctis & semina prebes.
Nascendique vices aliena morte rependis,
Qui vitã, lethumq; geris. Nã quidquid vbiq;
Gignit materies, hoc te donante creatur,
Debeturq; tibi certis ambagibus aui.

Nuncupatur & ἄδης, *ab priuatiua particula: licet in hac dictione adspiretur: et* ἰδεῖν, *id est, à non vidẽdo, quòd apud inferos obscura sint omnia ac tenebrosa. Hinc* ἀγέλασος, *& Scotios interdum dicitur. Vnde est illud Virgilij 6. Aeneid:*

Est iter in siluis, vbi cœlum condidit vmbra
Iuppiter. & rebus nox abstulit atra colorem.

vel quasi ἀηδής, *id est, tenebrosus, tristis, ac iniucundus. Obscura enim ac insuauia, plenaq; curarum ac dolorum apud inferos sunt omnia quemadmodum pulcerrimè his versibus docet Virgilius:*

Vestibulũ ante ipsum, primisq; in faucibus Orci

Lu-

Luctus, & vltrices posuêre cubilia curæ:
Pallentesq; habitant morbi, tristisq; senectus,
Et metꝰ & malesuada fames, & turpis egestas
(Terribiles visu formæ) letumq; labórque.

Phurnutus addit ita etiam eum videri posse dictum, ἀπὸ τοῦ ἁδάνειν, id est, à placendo, idq; per Antiphrasin, quasi nobis mortem iucundam ac suauem reddat. Eodem authore nominatus est & Eubulus, & εὐβολεύς, vt qui optimè de hominum salute consulat, eos à laboribus, miserijs & curis liberans.

DE BACCHI COGNOminibus.

Caput Quintum.

E*Vstathius Homeri interpres scribit dictũ esse Bacchum, ἀπὸ τοῦ βαχεῖν, id est, ab incõdito vlulatu, quo furẽtes Bacchæ personabãt. deinceps autẽ insertã κ literã, quo expreßio fieret tetri immanisq; soni. Ab eadẽ caussa vocatus est Mæuóles, id est, totus furẽs, vt est apud Phurnutũ, & Eusebiũ li. 2. cap. 5. de Præparatione Euãgelica: & Iacchus ἰαυχεῖν enĩ idẽ est q; vociferari. & Sabaziꝰ à*

Sabasmis, id est tripudijs & furiosis saltationibus, cuiusmodi fiebant in huius Dei sacris, & fiunt quotidie à vino madentibus. Credidit Plutarchus, sed falsò, Iudaeorum sabbata ex huius vocabuli ratione nuncupari, quòd à Iudaeis quoque (vt malè putauit) Bacchus coleretur. Brontius verò, seu Bromius appellatus est, à tonitru, quod in eius natiuitate contigit. nam βροντάω, tono significat: & βρέμω, instrepo. Alij à βρόμω, quod est Latinè consumo, deriuant. De Bromio sic Suidas. βρόμιος ὁ διόνυσος, ὁ ἐπισιτεργὸς τῶν καρπῶν. παρὰ τὸ βαρὰ βόριμο, καὶ ὑπερθέσει βρόμιος. Cõmunis aũt omnium opinio est, Bacchũ vini vsum mortalibus primum ostẽdisse, ex qua re multa ei cognomina tributa sunt. Nam modò Protrygis, modò Staphylitis, modò Omphacytis, modò Phleon appellatur. τρὺξ enim fecem significat, & aliquando vinum: & σαφυλη Latinis vua est: & ὄμφαξ sonat vuã acerbã, & nondum maturam: & φλέειν, idem est quod πολυκαρπεῖν. Dicitur ex eadem ratione Bryseus, & Lenaeus, & Morychus. Nam βρύειν, manare seu scaturire significat. Ipse enim primus vinum ex vuis pressisse dicitur.

citur. Alij à Brysa oppido Aoniæ cognomen hoc deducunt. & ληνὸς, torcular est: & μορύξαι nihil aliud est, quàm contaminare. Moris enim fuit olim huius Dei faciem in vindemijs musto ac virentibus ficis fœdare. Alij contumeliæ caussa cognomen hoc ei tribuutum volunt. Vbique enim ridiculus inducitur à poetis, vtpote semper temulentus: ideóque in eius sacris ridicula multa fiebant. Vnde & à simili quoque irrisione Erebynthium eum vocarunt. Significat enim Erebynthos modò cicer, modò pudenda. Vide apud Erasmum duo hæc Prouerbia, Cicernus Bacchus, & Morycho stultior. Sed & eum dicunt appellatum Dionysium quasi datorem vini, ἀπὸ τοῦ διδόναι τὸν οἶνον, à dando vino. Suidas Dionysium dici ait παρὰ τὸ διανύειν ἐν ἑκάστοις τὸν ἄγριον βίον ζῶσι. i. ab eo quòd viuentibus vitæ feritatem mitiget. vel dicitur Διόνυσος, auctore Phurnuto, quasi Διόνυξος, aut Διάνυσος, aut Διάλυσος, quòd vinũ animũ nostrum aperiat, aut quòd suauiter in nos illabatur, aut quòd dissoluat curas. Alij malũt eum ita nuncupatum ab hedera, siue mauis edera. Nam ὁ διονύσιον hederam significat: &

ipse frequenter à Græcis κίσσος, id est, Hederaceus: & à Latinis Corymbifer nominatur. Ouidius.

Festa Corymbiferi celebrabat Græcia Bacchi.

Caussa cognominis huius erat, quod ipse hedera delectaretur, eáque sacerdotes eius in Orgijs coronarentur. Ouidius in 6. Fasto.

——— Edera gratissima Baccho est.
Hoc quoque cur ita sit, dicere nulla mora est.
Nysiades Nymphas puerū quærente nouerca,
Hanc frondem cunis opposuisse ferunt.

Quin & hodiè passim videmus in Brabantia, atque nonnullis etiam alijs circumiacentibus locis, tabernas vinarias hedera vestiri. & ex hac caussa natum est prouerbium, Vino vendibili non opus esse suspensa edera. Diodorus verò Bacchum dicit appellatum Dionysium à patre & loco. Natum enim ex Ioue: & in Nysa felicis Arabiæ oppido, quod est propinquum Ægyptijs, nutritum fuisse: & ab hac etiam sæpè Nyseum nominari. Macrobius autem: qui quemadmodum reliquos Deos, ita & ipsum Bacchum pro Sole accipit, eundémque cum cum Apol-

line

line facit: Dionysium dici cõtendit, ἀπὸ τ̃ δίνας, καὶ περιφέρεσθαι, vel ἀπὸ τ̃ Διονύσαι, quòd Sol quotidiano impetu ab oriente ad occasum, diẽ noctémque faciendo, cæli cõficiat cursum: vel quasi Διὸς νοῦν, quòd Iouis, id est, mundi mens sit. Hinc Orpheus Liberum patrem Phaneta quoq; appellat, quod sol lumine suo omnia illustret. Addit idem Macrobius, quòd Sol et Bacchus sint ijdem, Bacchum ideò vocari Sebadium, quasi tu dicas pium ac relligiosum. Nihil enim Sole veteres putauerunt venerabilius. Sunt autem qui Dionysium deriuent ἀπὸ τοῦ νύττειν τὸν Δία, quòd insutus Iouis femori eum pupugerit. Porrò à Dionysio Dionysia Bacchi sacra denominata sunt, quæ cum magna prorsus inuerecundia turpitudinéque celebrabantur. Erat enim qui amphoram vini & vitẽ ferret, & qui hircum traheret, quíque cistam gestaret. Omnibus autem Phallus, id est, ficulnum veretrũ è collo propendebat. Nuncupatur & Lyæus & Alysius quòd curas diminuat, vt apud Ouidiũ

Cura fugit multo, diluitúrque mero.

vel quòd immodicus vini vsus mẽbra omnia soluat, ac debilitet, vt etiam testis est Virgilius:

Vt Venus eneruat vires, sic copia vini.

Latini vsurpãt græcã vocẽ, dũ eũ frequẽter Lyæum vocant. vt apud eundem Ouidium.

Turpe senex mulier multo madefacta Lyæo.

vel quòd ex intemperanti potu sæpè nascantur iurgia, soluantúrque inter homines amicitiæ vincula. Sicut autem à curarum diminutione Græcis Lyæus, ita Latinis ab eadem virtute Liber nominatur. Plutarchus in quæstionibus refert plures eius nominis rationes. Ait enim ita dictum esse, vel quia bibentibus libertatis causa sit. Fiunt enim homines ebrietate petulantiores, audacioresq́ue. Vnde est illud Neuij:

Liberâ linguâ loquemur ludis Liberalibus.

Hinc ei cornua addiderũt. quare dixit Horat.

& addis cornua pauperi. & Ouidius:

——— tunc pauper cornua sumit.

vel quòd Libationẽ præbuerit: vel quòd pro libertate Græciæ pugnauerit: vel à labẽdo, quasi Laber, quòd ebrius in quascunque voces facilè prolabatur: vel auctore August. quòd mares in coëũdo per eius beneficium emissis seminibus liberentur: vel quia liberè Sol per aêrem vagetur. Nam pro Sole Liber interdũ sumitur. vt apud Virgil:

Vos

——— Vos ô clarissima mundi
Lumina, labentem cælo quæ ducitis annum,
Liber, & alma Ceres.

Seruiꝰ ad hūc locū Virgilij, Huc Pater ô Lenæe, licet Pater, inquit, generale, sit cognomen omnium Deorum, Libero tamen semper adhæret. Nam Liber Pater ferè semper dicitur. Horatius in 2. epistolarum lib. epistola prima,

Romulus, & Liber Pater, et cū Castore Pollux.

fuit & Bacchi Liberatoris, hoc est, τοῦ ἐλευθερίου ædes, in primo statim Academiæ aditu, in quā quotannis statis diebus Dei signum deferre moris erat: Item alia Bacchi cognomento Saotæ id est, Seruatoris, non procul à Lyceæ Dianæ templo, quæ quidem Saotæ Bacchi ædes fuit ex oraculo quodam constructa. Apud Pellenen quoq; cultus fuit Bacchus cognomento Lampter, cui Lampteria, diem festum agebant, faces ardētes noctu in templum eius deferentes, & vini crateras per totum oppidum statuentes. Dictus autem sic est, ἀπὸ τοῦ λαμπτῆρος, id est, à face, seu lumine. Pausanias auctor est & apud Phigalenses Διονύσου ἀκρατοφόρου sacellum fuisse, cui cognomen hoc fortassis tributum est, quod vinum ἄκρατον, id est, merum & non

& non dilutum, τοῦ ἀκράτου, id est, intemperantiæ caussa sit. Quam ob rem ipse dicitur Amphyctionem Atheniensium Regem edocuisse, quomodo vinum aqua temperari debeat. ex qua caussa vocatur ὀρθός, id est, Rectus. Ex ista enim mistura visi sunt homines erigi, cùm prius ex meraco vini vsu incuruarentur. Scribit idem Pausanias apud Amyclas maximè cultum fuisse Bacchum cognomento Psilan, quasi dicas pennatum. Nam pennas à Doribus Psila nuncupari. homines enim non minus attolli vino, quàm aues plumis, Addit Cælius Bacchum vocatum esse Taurũ, seu Taurophagum, quòd tauro assimiletur ex ebriorum violẽtia: aut quòd natus sit Tauri specie: aut quòd primus tauros iugo subiecerit, & arare docuerit: aut quòd poëtis hymnos in Bacchi honorem canentibus taurus pro præmio daretur. Boccatius ait & Ignigenam Latinis dictum, vel quòd vinum calorem gignat: fumant enim propemodum ebriorum capita: vel quòd ipse ex igne natus sit, qui per Iouis fœmur significatur. Fabulantur enim poëtæ bis eum natum esse, primum ex Semele, deinde ex Iouis coxa. Nam

cum

cùm Semele ex Ioue grauida fulmine percussa esset, ferunt Iouem pietate motum, imperfectum adhuc puerum à matre excũtum femori suo insuisse. Vnde à Latinis Satus iterum, & Bimater appellatus est: & à Græcis διμάτωρ, & διθύραμβος, παρὰ τὸ δύο θύρας βῆναι, *id est, quòd bis natus per duas portas in lucem venerit, vterum Semeles, & Iouis femur: vel quòd vbi probè poti sumus, quasi per duas ianuas effundimus, quæ alioqui celare debueramus: vel quòd eo iam iam nascituro Iupiter inclamauerit,* λῦθι ῥάμμα, λῦθι ῥάμμα, *id est, solue suturam, solue suturam: vt dicatur* διθύραμβος, *quasi* λυθύραμβος. *Propter hanc suturam, vocatus est & Eraphiotes. Nam* ἐράπτειν *idem est quod suere. Pomponius Mela auctor est, in monte Mero iuxta Nysam Bacchum educatum fuisse, hócque caussam Græcis scriptoribus dedisse, vt eum Iouis femori insutum dixerint.* μηρὸν *enim etiam coxam significare. Porrò à Semele matre, sæpè dicitur poëtis Semeleius, & Semeleia proles. Fuit autem non solùm vini, sed etiam ficorum & fructuum propè omnium inuentor.*

Vnde

Vnde Sycites ἀπὸ τῶν συκῶν, id est, à ficis: & Milichius dictus est. Nam Milicha ficos olim quoque significabant. Quin etiam Eleleus dictus est, ab ἐλεῦ adhortantis interiectione, qua in Orgijs atque bellis vti solebãt: & Nyctelius, quoniam sacra eius noctu celebrabantur. Virgil. in 4. Æneid.

———Vbi audito stimulant Trieterica Baccho
Orgia, nocturnusq́; vocat clamore Cytheron.

Et Thyoneus, ἀπὸ τοῦ θύειν quòd significat furere, quod proprium est temulentorum, & interdum etiã interficere. Ipse enim dicitur admodum bellicosus fuisse. Nam cum Gygantes cælo deturbare Iouem conarentur, ferunt eum in leonem conuersum, statim vnum è Gigantibus interfecisse, Iouemq́; filij audacia delectatum acclamasse, εὐάρ εὐΐε, id est, Euge bone fili. quæ voces laudantis quidem sunt, sed postea inter Bacchi cognomina relatæ. Sunt qui scribant Euam, Bacchicam vocem, à Baccho primum editam: deinde à Bacchãtibus mulieribus vsurpari consuetã. Sed & Triumphatoris cognomẽ satis declarat eũ bello strenuũ fuiße, quod ei tributũ scribit Diodorus, quoniã prim⁹ omnium de Indis, multis cum spolijs in patriã reuer-

reuersus triumphauit. Marcus Varro tradit hanc Romanorum militum acclamationem Iò Triumphe, Iò Triumphe, ab acclamatione militum Bacchi natam esse, qui eo triumphãte clamabant, Ió Triambe, Bacche Ió. Cæterùm Diodorus Thyonei cognomẽ aliunde deducit. Terrã enim à veteribus Thyonẽ vocatam dicit, & ab ea Bacchũ Thyoneum nũcupatũ vult. Thyonei meminit Hor. li. 1. Odarũ:

—— nec Semeleius
Cùm Marte confundet Thyoneus
Prælia. & *Euij libro 2. Odarum:*
Dissipat Euius Curas edaces.

Potest & dict⁹ esse Thyoneus à nomine matris Semeles, quæ nonnunquam Thyone vocatur. Pausanias refert & alia Bacchi cognomina. Dicit enim eum Lysium à Thebanis nominatum, quòd eos à Thracibus vinctos soluerit, itáque Thraces sopiuerit, vt à Thebanis facilè interficerentur: et Ægobolon à Potniensibus, quòd pro puero, quem ex oraculo singulis annis ei sacrificare solebant, capram supposuit: & Cephalenem à Methymnæis. Cũ enim Piscatores quidã Methymnæi retis tractu Oleaginũ caput cepissent, Appollinemq́; consu-

consuluissent, quænam illa vel deorum vel heroũ esset imago: iussos à Deo colere Dionysium Cephalenem: & Melpomenon ab Acharnensibus, quasi Cantorem, seu cantu oblectabilem dicas: & Melanægida apud Hermionenses, huicq́; singulis annis Musicæ certamẽ institutũ: natatoribus quoque & nauigio certantibus præmia proposita fuisse. dictum autẽ esse Melanægida, à nigra pelle capri, qua indutus Melanthus Xanthium fraudulenter interfecit: & ἄνθιον, id est, floridum, à Phlyensibus & Myrrhinusijs: & Masarin, à Masa quadam Rheæ ministra, cui Iupiter Bacchum à Semeles incendijs liberatum furtim tradidit. Addit idem auctor memoriæ proditum esse, lignum quoddam in Semeles thalamum unà cum fulmine cælo delapsum esse, quod posteaquam ære Polydorus artifex exornasset, ab eo Bacchum Cadmeum vocatum esse. Nam Cadmus fuit Bacchi maternus auus. Idẽ Bacchi Patrij & Dasyllii, item Politæ & Axitis obiter tantum meminit. nullam horum cognominum caussam adferens. Acron ad illud Horatij. Non ego te candide Bassareu Inuitus quatiam. Bassareus, inquit, dictus est

Li-

Liber Pater à genere vestis Baccharũ. vnde & Bacchæ Bassarides dictæ. Bassaris enim genus vestis est ad talos demissæ, à Bassaro loco, vbi fit. Tali enim & numina vti volunt, vt, pedes vestis defluxit ad imos. Fuit & Mæoni⁹ nũcupatus, à Mæonia minoris Asiæ regione, in qua nullæ sunt arbores præter vitem. Virgil.

——— *cape Mæonij carchesia Bacchi.*

& Calydonius, à Calydone vbi cultus fuit, de cuius sacerdote Coreso, hanc referunt historiã seu fabulam potius. Cùm enim Callirhoen insigni pulcritudine virginem impotenter deperiret, nec vlla ratione voti compos esse posset: à Deo impetrasse dicitur, vt Calydonij velut ex ebrietate delirarent, & attonitos mors statim occuparet. Cùm autem respondisset Oraculum immolandam Baccho Callirhoen, alioqui nõ desiturum malũ, illaq; ad arã staret, tum Coresus, amoris pristini memor, seipsum pro Callirhoe interfecit. quod illa videns, pudore mota, sibi quoq; necẽ intulit. Dictus fuit & Sicyonius, à Sicyone vrbe, in qua magnificẽtissimũ habuit delubrũ, ex ebore auroq; magna ex parte fabrefactum: & Leucyanites, à Leucyania fluuio iuxta quẽ templum habuit.

Roma-

Romani eum quoque Brumũ appellarunt. vnde Brumalia festa dicta, de quibus amplè Suidas. Diodorus scribit Barbatum etiam eum cognominatum fuiſſe, quòd, dum orbem lustraret, comam & barbam semper aluerit. & Macrobius auctor est eius simulachra fingi solita partim puerili ætate, partim iuuenili, prætetea barbata specie, & senili quoque, omniaq́; (suo more) ad Solem refert. Ipse enim Sol hiemali solstitio, cùm dies breuiſsimi sunt, paruulus, recteq́; pueri specie figuratur. Exinde aũt crescẽtibus diebus æquinoctio vernali maior est. ideoq́; iure, iuuenili forma effingitur. Postea verò, cũ dies longiſsimi sunt, quod æquinoctio æstiuo contingit, optima ratione barbatus effingitur. Nam per barbã, pleniſsima & robustiſsima ætas significatur. Cum autem diminuuntur dies, meritò velut senescens formatur. Addendum supradictis, Diodorũ accipere Osirin & Bacchum pro eodem numine, sicut Isidem & Cererem, quam Liberi Patris vxorem facit. Ouidius libro 4. Metamorphoseon bonam partem Bacchi cognominum cõplexus est his versibus.

Thuraq́; dãt, Bacchũq́; vocãt, Bromiũq́; Lyæumq́;

Igni-

Ignigenamq́;, Satumq́; iterũ, solumq́; Bimatrẽ,
Additur his Nyseus, indetonsusq́; Thyoneus,
Et cum Lenæo genialis consitor vuæ,
Nyctel iusq́;, parẽs, Eleleusq́;, et Iacchus, et Euã
Et quæ prætere a per Graias plurima gentes
Nomina Liber habes.

Extat & Græcus hymnus de Bacchi cognominibus, quem lege, si plura noße vis. nec enim fuit animus omnia congerere. Tantùm libet Iambicos Ausonij, & Marulli de Bacchi cognominibus hymnum hic inserere.

Ogygia me Bacchum vocat,
Osirin Ægyptus putat,
Mystæ Phanacem nominant,
Dionyson Indi existimant,
Romana sacra Liberum,
Arabica gens Adoneum,
Lucaniacus Pantheum

Sequitur Marulli hymnus.

Ænor impotẽti Thyrso grauis Alme Dionyse,
Martie, Bicornis, Rex, Omnipotẽs, fœmorigena
Mystice, Thyoneu, Vltor, Soliuage, Euies, Satyre,
Genitor Deorum idẽ, atq; idẽ Germẽ amabile,
Nyctelie, Multiformis, Hymeneie, Nomie,
Gemine, Hospitalis; liber Pater, Opt. Maxime,

Domitus quem Ganges, quem gemmea marmora pelagi
Sensêre primi, cui cessit terrigena cohors
Rhœtúsque, Mimásque, qui Penthea, qui malè nimium
Adigis Lycurgum tandẽ sua pendere scelera.

DE SOLIS COgnominibus.

Caput Sextum.

SOLEM *Latinè dictum esse, quòd solus sit, autor est Cicero. Vnus enim tantùm est Sol, nõ plures: quemadmodum pulcrè quidem, sed superbè nimium Alexander Magnus Darij legatis regni partem offerentibus respondit, sicut mundus Soles duos pati non possit, ita neque Asiam duos imperatores tolerare posse: vel, vt idem ait, quòd cùm exortus est, obscuratis omnibus alijs syderibus, solus appareat. Sol inquit M. Varro, dicitur, vel quòd ita Sabini: vel quòd solus ita luceat, vt ex eo dies sit. De Sole multa Plato & Iamblichus, & inter nostros Macrobius, qui, vt sæpius iam antè à nobis dictum est, omnia gentilium*

tilium numina ad Solē refert. Fortaßis illud memoratu dignum est, quòd Plato Solem vocauerit visibilem filium Dei inuisibilis. Certè Christiani quem Solis diem veteres vocabāt, in Dominicum conuerterunt. Dictus est aūt Sol Hecatos, ab ἑκὰς, *quòd lōgè radios suos ad nos emittat: & Phaëthon, ab insigni claritate. est enim* φαέθω, *luceo, siue ardeo. quanquā sæpius Phaëthon pro Solis filio accipiatur. Dicitur & Ouidio Titan, fortaßis* ἀπὸ τοῦ τιταίνειν, *id est, ab extensione radiorum.*

Nullus adhuc mundo præbebat lumina Titan.

& Virgilius:

Lucentemq́; globum Lunæ, Titaniaq́; astra
Spiritus intus alit. ——

licet aliquando Titan pro Solis fratre ponatur. Sed & Hyperion nonnunquam dicitur, quòd super alia omnia astra emineat; παρὰ τὸ ὑπὲρ ἡμᾶς ἰέναι; *quamuis interdum pro Solis filio vsurpetur. Colebant & Ægyptij solem sub Hori nomine, vt in Apolline antè diximus. De sole sic Orpheus.*

κλῦθι μάκαρ, πανδερκὲς ἔχων αἰώνιον ὄμμα,
Τιτὰν, χρυσαυγὴς, ὑπερίων, οὐράνιον φῶς
ὄμμα δικαιοσύνης, ζωῆς φῶς, ὦ ἐλάσιππε,

S ij μάκ-

μάστιγι λιγυρῇ τετράωρον ἅρμα διώκων.
id est, Audi Beate, qui habes omnia intuentem oculum, Titan aureo splendens nitore, Hyperion, cœleste lumē, iustitiæ oculus, vitæ lux, equorū agitator, flagello stridulo quatuor Horarum agens currum. Appellatur autem Sol à Grecis ἥλιος, *ab* ἁλίζειν, *id est, ab eo quòd cōgregat in vnum homines cùm exoritur: vel quòd circa terram* ἀεὶ εἱλεῖν, *id est, semper reuoluitur: vel* ἀπὸ τοῦ αἰολεῖν, *id est, quia variat circuitu suo, quæ terra nascuntur, vt auctor est Plato in Cratylo. Illud nō omittendū, Persas Solem dixisse Mithram, eiusq; simulacrum leonis rictum prætulisse cū tiara, manu vtraque bubula premente cornua. Martianus in nuptijs Philologiæ.*

Te Serapin Nilus, Memphis veneratur Osirin,
Dissona sacra Mithram.

& Papinius in Thebaide.

Adsis ô memor hospitij, Iunoniaq; arua
Dexter ames, seu te Roseum Titana vocari,
Gentis Achemeniæ ritu, seu præstat Osirin
Frugiferum, seu Persei sub rupibus antri
Indignata sequi torquentem cornua Mithrā.

A Mithra, Mithriaca sacra dicta sunt, in

quibus moris erat eductum cornibus ex antro bouem, Mithræ, id est, Soli gratam victinam immolare. Suidas scribit huius sacris neminẽ initiari potuisse, nisi qui antè per tormentorũ gradus ad ea peruenisset, & sanctum perpessionisq́; expertem se declarasset. Porrò Ægyptij Solem Osirin appellarunt, quasi dicas multioculum. Sol enim radios suos quasi multos rebus immittit oculos, quibus omnia perspicit. Vnde est illud.

Sol qui terrarũ flammis opera omnia lustras.

Alij autem Osirin eundem esse putant cum Baccho, vt in Baccho quoque diximus.

DE LVNAE COGNOminibus.

Caput Septimum.

L*Vna à lucendo dicta est, hoc est, quòd sola noctu luceat, vt habet Marcus Varro. Vnde Virgilius:*

Lucentẽq́; globum Lunæ.— vel quasi lux aliena, quòd lumen à Sole mtuetur. Græcis σελήνη *vocatur, quòd, auctore Platone, lucem nouam perpetuò habere videatur. Neque enim Luna lumen habet ex se: sed ex Sole*

recipit: & μλώη, à qua voce μλὼ, id est, mensis dictus est: & φοίβη, sicut & Apollo Phœbus.

Virgilius.

Iamq́; dies cælo concesserat, almaq́; cornu
Noctiuago Phœbe medium pulsabat Olympũ.

Eusebius dicit Ægyptios Lunam cum Sole tantùm coluisse, eamq́; Isim appellasse, quam Priscam, inquit, dicere poßimus, quoniã sempiterna priscaq́; sit. Huic cornua appingebant, vel quòd antè plenilunium cornuta sit, vel quòd bos ei dedicata sit. Idem ait Cœlestis atq́; terrestris telluris virtutem, veteres Isim appellasse. Ison enim græcè, æquale esse Latinis. Ælius Spartianus in Caracalla memoriæ prodidit Carrenos, apud quos Luna magna veneratione colebatur, certò credidisse, vt apud quos Luna fœminino sexu pronuntiaretur, ij mulieribus semper seruiãt: apud quos aũt Deᵘˢ Lunus genere masculino diceretur, ij vxoribus dominentur, nullisq́; muliebribus obnoxij sint insidijs. Certè Lunam feminino genere paßim enuntiamus. Hinc fit fortaßis, vt paßim vxores magnum in viros suos habeant imperium. Reliqua quæ de Luna ad argumentum nostrum pertinentia dici possent, vide in Diana,

na, quam pro Luna accipi satis ibi abundè diximus.

DE TELLVRIS COgnominibus.

Caput Octauum & vltimum.

INter Tellurem, & Terram Seruius hanc ponit differentiam, quòd Terra ipsum sit elementum: Tellus vero Dea, quæ terræ præest, licet apud poëtas etiam Tellus pro terra frequenter vsurpetur, vt hoc versu Virgilij: Fūdit humi facilem victum iustißima Tellus. Dici tamen semper animaduertas ædem Telluris non Terræ. M. Varro, Principes, inquit, Dei, Cælū & Terra. Hi Dei ijdem qui Ægypti Serapis & Isis. Idem Terram appellatam vult à terendo, quòd pedibus teratur. sed hanc etymologiam irridet Quinctilianus. Tellurē quidam deducunt à tollendo, quòd ea præsit tollēdis de terra maturis fructibus. Græcè χθὼν *dicitur,* ἀπὸ τοῦ χεῖσθαι, *à fundendo. Terra enim omnia nobis effundit: &* ἀπὸ τοῦ χωρεῖν *quòd omnio capiat. Hanc autem pleròsque eandem credidisse cum Iunone, Cerere & Vesta, superiore libro copiosè ostendimus. Sed & Proser-*

pinam seu Hecaten eam vocari multi aucto-res sunt. vt Proserpina dicta sit, quasi radicitus per terram proserpens : & Hecate ab eo, quod est græce ἑκατὸν, id id est, centum. Proprium enim terræ est, centuplicatum fructum cultori suo rependere. Appellata est & Maia, teste Macrobio, et Magna mater Deûm, à magnitudine. Ipsam enim arbitrati sunt, tanquam piam matrem maxima sua vbertate cuncta nutrire, & suo gremio morientia suscipere: Item Bona Dea, quòd omnium nobis ad victum bonorum terra caussa sit : & Alma, ab alendo : & Fauna, quòd omnibus animantibus faueat: & Ops, quòd ipsius auxilio vita nobis constet: vel ab opibus, quæ terra eruntur: vel ab opere, vt vult M. Varro. Ita enim scribit: Terra Ops, quòd hic omne opus ad viuendum. Ideò dicitur Ops mater, quòd terra mater. Hæc enim Gygantes omnes peperit, & resumit denuò quæ dat cibaria : & Fatua, quòd infantes in lucem æditi, non prius fari norint, quàm terram attigerint. Addit Macrobius vocatam à Romanis Me : dæam : & à Græcis θεὸν γυναικείαν, quòd tanta

tãta pudicitia fuerit, vt extra gynecæum nũquam egressa sit, nec virum vnquam viderit, aut à viro visa sit. Homerus autem vocat eam interdum ἀπείρονα, quod infinitum significat. Est enim σφαιροειδὴς, id est, Sphæræ figura, quæ propter continuum circuitum neq; principium habet neque finem. & Plutarchus nominat eam κλίτιαν, seu κλείτιαρ, vt reponit Cælius: quasi tu dicas obstipatam, ac vehementius clausam, à verbo κλείω, id est, claudo. Dicitur & Boccatio Pales, quòd pabula gregibus & armentis præbeat, vt apud Virgilium.

Te quoque Magna Pales. ——

vnde eius festa Parilia dicebantur, quasi Palilia. Dicta est & Eurysterna, à lato pectore. Certè Pausanias auctor est huius Deæ sacerdotem castè viuere debuisse, & quæ antea cùm vno tantùm viro consuetudinem habuisset. Eam autem probari epoto sanguine taurino: & si quæ mendacium dixisset, pœnam statim luisse. quod si plures sacerdotium ambijssent, eam quæ sortito electa fuisset, præferri solitam fuisse. Quoniam autem Tellurem eandem esse cum

Ma-

Magna Matre Deûm paulò antè diximus, postulat locus hic, vt de Magnæ Matris cognominibus nonnihil differamus. Appellata enim est Cybele, à monte Cybelio, in quo à Menoe patre, vetustissimo Phrygiæ Rege fuerat exposita: & quia à Phrygijs potissimũ colebatur, Mater Phrygia vocata est: sicut & à Berecyntho, Ida, & Dyndimus mõtibus, dicta est Berecynthia, Idæa, & Dyndimene. Virg.

Idæumq́; Iouẽ, Phrygiamq́; ex ordine Matrẽ
Inuocat. — *& alibi:* — *ite per alta*
Dyndima, vbi adsuetis biforẽ dat tibia cãtum.
Tympana vos, Buxusq́; vocat Berecynthia Matris
Idææ, sinite arma viris, & cedite ferro.

& Ouidius:

Protinus inflexo Berecynthia tibia cornu
Flabit, & Idææ festa Parentis erunt.

& Horatius lib. 1. Odar.

Non Dyndimene, non adytis quatit
Mentem sacerdotum incola Pythius.

Habebat hæc Gallos sacerdotes, à Gallo fluuio sic denominatos, homines prorsus euiratos, Cæli Patris castrationem representantes. qui cum furore diuino correpti erant, insanien-

nientium more circumquaq; cursitabant, capita sua adsidua rotatione quatientes, vt indicat Lucanus hoc versu.— Crinemq; rotantes Sanguinei populis vlularunt tristia Galli. Vnde nonnulli ἀπὸ τοῦ κεφαλὴν κύβειν *Cybelem dici maluerunt. Alij furoris huius ac euirationis originem ad Atyn referunt, à Cybele valdè adamatum, qui cum Deæ fidē datam non seruasset, versus in furorem genitalia sibi amputauit. quam rem latè prosequitur Ouidius in quarto Fastor. Cælius à cubo, qui huic Deæ dicatus erat, Cybelem deriuauit. Illud verò omittendum non est, quam Latini Opem vocauerunt, Græcos Rheam dixisse,* ἀπὸ τοῦ ῥέω, *quòd terra affluens sit rerum omnium: & in Rheæ honorem Megalesia ludos celebrari cōsueuisse. Phurnutus vult & eam* ὀρείαν, *à montibus nuncupatam fuisse, quoniā imbres, quorum caussas in ipsam refert sæpius è montibus stillare conspiciantur. Addit & coronam turritam eius capiti imponi solitam, quòd olim vrbes, vt munitiores essent, in mōtibus construebantur: seu quòd ipsa esset prima mundi caussa & origo. Ouid. in 4. Fastor. At cur turrifera caput est onerata corona?*

An

An primis turres vrbibus illa dedit?

Veteres pingebant eam in curru ſedentem, & in capite, vt dictum eſt, turrim geſtantem: nec nõ altera manu ariſtas, altera tympanum tenentem. per ariſtas ſignificantes frumentum è terra naſci: & per tympanum, rotunditatem terræ denotantes. Alij volunt per tympanum ventos, qui terra occluduntur, & è terra prorumpunt, fuiſſe deſignatos. Porrò currus à duobus priuatis & domitis leonibus trahebatur: cuius rei hæc erat ſignificatio, nullam terram adeò ſterilem & infœcundam eſſe, quæ diligenti cultura non efficiatur fertilis ac feràx. Ouid. eo. lib.

——— cur huic genus acre leonum,
Præbeat inſolitas ad iuga carua iubas?
Deſieram, cœpit: feritas mollita per illam
Creditur. id curru teſtificata ſuo eſt.

huius currus meminit & Virgilius hoc verſu:


Et iuncti currum Dominæ ſubiêre leones.

Illud autem ſilentio nequaquàm prætereundum, quòd in antiquis numiſmatibus legitur ſcriptum Sybele per S. in priori ſyllaba: & non per C, vt vulgò ſcribitur. De Tellure Dea ſic Statius in Thebaide.

ô ho-

—— ô hominum, Diuûmq́ æterna Creatrix,
Quæ fluuios, siluasq́, animarũ semina mundi
Cuncta, Prometheasq́ manus, Pyrrheaq́ saxa
Gignis, & impertis, quæ prima elemẽta dedisti
Mutastiq́ viros, quæ pontum ambisq́ vehisq́.
Te penes & pecudũ gens mitis, & ira ferarũ,
Et volucrũ requies, firmũ atq; immobile mũdi
Robur, & occidui te velox machina Cœli
Aëre pendentem vacuo, te currus vterq́
Circuit, ò rerum media, indiuisaq́ magnis
Fratribus: ergò simul tot gentib9 alma, tot altis
Vrbibus, ac populis subterq́ & desuper vna
Sufficis. &c.

Et Plinius in sequundo. Sequitur Terra, cui vni rerum naturæ partium eximiæ, propter merita cognomen indidimus maternæ venerationis. Nos nascẽtes excipit, natos alit, semel æditos sustinet, & semper nouissimè complexa gremio, iam ab reliqua natura abdicatos, tum maximè vt mater operiens. &c.



AD LECTOREM.

HAEC autem erant, Candide Lector, quæ de Principum Deorum cognominibus dicenda habebam: quibus si te delectatum intellexero, erit cur mihi gratuler, & te nō solùm officio boni viri functū fuisse, sed ad maiora etiam posthac audendum me non vulgariter animasse, iudicem. Potuissem equidem de Dijs Inferiorum Gentium, licet non tam multa, saltem aliqua etiam tibi legenda proponere: nisi maluissem hęc alijs post me commemoranda relinquere.

¶ FINIS LIBRI TERTII. & vltimi.



¶ INDEX RERVM

AC VERBORVM MEMORABIlium quæ in his de cognominibus Deorum Gentilium libris tribus continentur.

M.

O.

S.

T.

FINIS.

AVCTORES
EX QVIBVS
HI DE COGNOMINIBVS Deorum Gentilium libri tres conflati sunt.



ACron, siue quisquis est auctor Cõmentar. in Horatium.
Acta Apostolorum.
AElius Spartianus.
Agellius. siue,
A. Gellius.
Amaseus, Pausaniæ interpres.
Andreas Alciatus.
Anienus Dionysij interpres.
Apuleius.
Aristophanes.
Aristoteles.
Athenæus.
Aufustius.
A. Persius Flaccus.
D. Aurelius Augustinus.
Aurelius Prudentius.
Ausonius.

B.

BArtholomæus Marlianus.
Basilius Magnus.
Blondus.
Boccatius.

C.

CAEtis.
C. Iulius Solinus.

Poggius, Diodori interpres.
Pomponius Lætus.
Pomponius Mela.
Proclus, citatur ab alijs.
Propertius.
P. Ouidius Naſo.
P. Terentius Afer.
P. Virgilius Maro.

Q.

Q. Curtius.
Q. Horatius Flaccus.

R.

RHemnius.

S.

D. Sedulius.
Seneca.
Seruius.
Sillius Italicus.
Socrates Eccleſiaſt. hiſtoricus.
Solomon.
Statius.
Stephanus.
Strabo.
Suetonius.
Suidas.

T.

TErentianus.
Theophilus, Theologus.
Thomas Morus.
Tibullus.
T. Liuius.

V.

VAlerius Maximus.
Valerius Soranus.

FINIS.

INDEX CAPITVM LIBRORVM IVLIANI HAurechi De Cognominibus Deorum Gentilium.

Libri Primi.

Libri secundi.

F I N I S.

Quandoquidem in hoc de Cognominibus Deorum opere, D. Iulianus Aurelius præclarè atque eruditè vanitatem Gẽtilium demonstrat, ac confutat, nihilque in opere inuenitur, quod pias, Catholicásque aures offendat, credo tutò atque vtiliter imprimi posse. Actum Lou. An. 1569. die 25. April. Ita testor & iudico.

Cunerus Petri.
Pastor S. Petri Louanij.

❧ ERRATA, PER TYPOgraphum commiſſa, ſic corrigito.

Pagina 21. verſu 23. lege, auctoritas? 67. 14. Minyarum. 68. 22. & Cœli. 69. 19. exta. 74. 10. Scotitam. 74. 19. Cephaleniæ. 75. 9. δία. 78. 13. in Eliacis. 79. 1. οὔριον 84. 1. ἀντίπατρον 85. 1. abduceret. 87. 21. ἄλλων. 88: 13. τὸ ἀληθὲς 89. 3. βιᾷ. 90. 14. ἰέναι 120. 19. ὄμβρων. 135. 4. domari. 140. 5. ara. 246. 24. Δομαιτίτης. 152. verſ. 6. 7. 8. Cognominibus Deor. Gentilium. Lib. 2. De Iunon. Cogno. caput 1. 157. 9. εἰλείθυια. 163. verſ. 15. 17. Caprotinæ. 173. 1. exceptum. 174. 16. Ægotera. 178. 23. εὐσεβῶν. 258. 12. ab α priuati. 259. 20. Manoles. 267. 23. Semeleius. 268. 4. ἐλελεῦ &c.




IVSTITIA
ET
PAX

